




BOSTON
MEDICAL LIBRARY
8 THE FENWAY





Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

<http://www.archive.org/details/derenunciacionev00bohn>





D. IOHANNIS BOHNII, Prof. Lips.

DE

RENVNCIATIONE

VVLNERVM,

SEV

V V L N E R V M

LETHALIVM

E X A M E N,

CVI ACCESSERVNT

DISSERTATIONES BINAE

DE


PARTV ENECATO,

ET

AN QVIS VIVVS MORTVVSVE AQVIS

SVBMERSVS, STRANGVLATVS AVT

VVLNERATVS FVERIT.



LIPSIAE,

APVD THOMAM FRITSCH,

M DCC XI.

91.01=04

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
JAN 26 1914
EAST ASIAN DEPARTMENT

34. H. 26.

ASIAN DEPARTMENT
UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY



PRÆFATIO


AD

LECTOREM.

ANte viginti jamdum, & quod excurrit, annos Anno nimirum elapsi Seculi 1689. præfens opusculum *de Renunciatione Vulnerum*, edidi, non quod ulli persuadere mihi præsumferim, quasi nemo ante me Argumenti hujus declarationem unquam in se susceperit, aut Publico quicquam deo concesserit, quique Scripto hoc aliis palmam præripere voluerim: utpote quale assertum ac petulantia aut bonorum Autorum ignorantiam crassam, aut jactantiam inanem, oluisset; quarum tamen utramque semper odi. Neminem siquidem, qui Eruditi nomen gestit, latere potest, ante seculum *Ambr. Pareum de Renunciationibus & Embamatibus Cadaverum*, paulo post *Fortunatum Fidelem de Relationibus Medicorum*, nostra ætate sub falso Scriptoris nomine ac ficta Rubrica, *Thomæ sc. Reinesii Scholæ Iurid. Medicæ*, venditatum, *Baptistam Codronchium, de Methodo testificandi*, Accessorium tractatus *de Vitiis Vocis*, atque *P. Zacchiam Questiones Medico-Legales*, conscripsisse. Quibus ante medium circiter Seculi elapsi accesserunt *Melch. Sebizzii Examen Vulnerum*, *Hermanni Corbei Oratio de Vulneribus lethalibus ac sanabilibus*, *Bernhardi Suevi de Inspectione Vulnerum lethalium & sanabilium*, ac demum *Gottofredi Welschii Iudicium Vulnerum Lethalium*, *Blegny la Doctrine des*

P RÆFATIO AD LECTOREM.

Rapports en Chirurgie, & quam Anno 1703. Parisiis imprimi curavit *Anonymus l'art de faire des Rapports en Chirurgie*. Qualia sane nemini ansam conquerendi concedent, Lethalitatæ Percussionum materiam olim nondum fuisse ventilatam. Alia longe mihiq; eadem cum Suevo conatus hujus tunc temporis erat, ac in præsentiarum est, ratio: nimirum ut, quam Scripti hujus difficultatem, viribus meis longe superiorem experiebar & adhuc deprehendo, hincque Lucubrationum mearum imperfectionem haud exilem auguror, aliis, quorum Iudicium promptius & doctrinæ atque peritiei suppellex instructior, solvendum ac erudendum concedere mallet. Veritati siquidem dum unice & semper lito, perinde mihi erit sive propriis, sive alienis, oculis illam perspexero. Recudere vero dum nunc intendebat Scriptum hoc Bibliopola, merogabat, ut illud reviderem, demerem ex eodem addermue illi, quæ e re esse cognoscerem: Errores conspicuos magis emendavi, quædam delevi, adjeci tamen pariter nonnulla, quæ posteriorum temporum suppeditarunt observata. Annexi demum sub *Appendicis* conspectu Cogitata 1. *De Infanticidio recens natorum*: 2. *Circa modum discernendi Vivos & Mortuos submersos, subspensos ac vulneratos*; Argumenta frequentiora & Medico, qui ad deponendum coram Magistratu se applicat, scitu maxime necessaria. Vale!



Q. D. B. V.

DE

RENUNCIATIONE
VVLNERVM.

PLura sunt argumentorum genera, Medicis cum Legum-Pè-
ritis communia, ideoque forsan *mixta* seu *Medico-Legalia*
dicenda, super quæ hi illorum censuras sub *Relationum*,
Renunciationum ac *Depositionum* nomine petunt, & pro eo-
rum diversa inclinatione ac sententia reos damnant ac infontes absol-
vunt. Rogant sc. Jure-Consulti Medicorum sententiam circa morbo-
rum simulationem, de sustinendis tormentis, de generandi impo-
tentia, de arcta & sterili, de virginitatis signis, de ingravidationis
notis, de simulata imprægnatione, an mulier pepererit, de tem-
pore partus legitimi, de abortus a verberibus metu, de abortu
concitato, de mente captis, de fœtu intra extrave uterum mor-
tuo, de infante v. g. a nutrice suffocato, an ex aqua protractus vi-
vus, an mortuus, in eam fuerit præcipitatus? de veneno hausto, de
iis, qui mortem fingunt, & quæ similia fereque infinita sunt. Ast
omnium frequentissimum &, prout *Zacchias* loquitur, practicabile
maxime, super quod Magistratus seu Iudex a Medicis informari de-
siderat, *Vulnerum* est *Lethalitas*: i. e. an Vulnus, a percutiente in-
flictum, mortis causa, an secus, extiterit? quò illi pariter ac vul-
nerato jus decernere queat. *Vbi nimirum*, advertente *Celeber-
rimo* quondam *Stryckio*, de *Sanguine in Terram profuso*, qui ad Cœ-
lum *anxius clamat*, *controversia movetur*, *movetur ibidem de San-
guine vivi adhuc hominis*, *carnificis manu profundendo*, Ita quidem
ut, quamvis Legum Interpretès diversas conjecturas, v. g. a tem-

pore mortis subsequēntis, parte corporis læsa, qualitate ac quantitate vulneris, conditione armorum, fama publica &c. petitas in Commentariis suis prolixè satis subministrant, v. g. *Mascardus*, *Boerius*, *Gomelius*, *Carerius*, *Farinacius* alique, quorum Catalogum a Medico, prudentior nec Legum, nec Medicinæ peritus, desiderabit: eorum plerique nihilominus, præsumptionibus illis, tanquam insufficientibus atque incertis, posthabitis, ad Medicorum Relationes confugiant, hasque solas Iudicem in arbitrando, an Vlnus sit mortale, nec ne, sequi debere sentiant, prout vel ex solis *Mascardo Conclus.* 10037. & *Farinacio de Homicid. tit. 14. quæst. 127. part. 2. No. 49.50. & 51.* videre est. Renunciationum E. de Vulneribus formandarum provincia quia ad Medicos devoluta, horum quoque erit potissimum, fundamenta & rationem, illas methodice concinnandi, evolvere atque innuere: quod duabus Sectionibus præstare conabor.

SECT. I.

DE

RENVNCIATIONE VVLNERVM IN GENERE.

CAPVT I.

DE

VVLNERVM INSPECTIONE.

*Renunciatio-
nes duplicis
generis.*

Postulatur ac adornatur Censura de Lethalitate Vulnerum modo vulnerato adhuc superstite, quæ ut plurimum conjecturalis atque incerta satis, quatenus vulnerum, interiora penetrantium, vix unquam tanta observatur latitudo, per quam cunctas eorum circumstantias, imprimis læsionum profundiorum, sufficienter indagare, intueri ac dignoscere licet, ut in plagis capitis quotidie experimur, utpote quæ facie sua externa sæpe levissimæ multum nihilominus periculi involvunt, imo non raro interficiunt, ob rupta vasa recondita

condita interioresque cerebri recessus laceratos : ut taceam , vulnera aliarum quoque partium ex minimo errore mortifera fieri, contra pro desperatissimis habitos percussos eluctari, ut inferius patefcet. Modo de vulnere deponere jubetur Medicus, seu a vulnerante ejusque Parastatis quæstio movetur, postquam mortuus vulneratus, an, quod ille intulerat, vulnus lethale extiterit, i. e. ut tale, occiderit? Quod judicium, quia læsionum ipsarum autopsiam & accuratiorem Illustrationem supponit, hincque *Vulneris inspectio* vulgo audit, non mirum, cur certam atque infallibilem magis hanc censuram pronuncient Legislatores, adeoque huic demum, non illi, definitivam accommodent. Atque hoc quidem scrutinium post *Clarum Recept. sentent. §. si quest. n. 4. & 5. ac Constitutiones criminales Carpozovius prax. crimin. part. 1. quest. 26. Feldmannus de Inspic. cadav. c. 3. Stryckius de Jure sens. c. 7. ac Serenissimi Electoris Brandenburg. Edictum, Anno 1665. promulgatum, quasi totius mundi consuetudine receptum, diversorumque populorum moribus ac legibus conformem, comprobant. Quatenus eo ipso, dum decidendum est, an percussus a vulnere? an alia causa, discesserit, oculorum usu imprimis innitendum venit, ut illius habitudine seu conditione, quam in ejusmodi casu corpus delicti ajunt Icti, perspecta de quæstione illa accuratior sententia feratur. Ita quidem ut, si Visitatio ejusmodi, ex quacunque occasione negligatur, iisdem Legibus publicis cautum legamus, pœnam homicidii in percussore minime locum habere, seu ab hoc recedant Legislatores communiter, aut certe in ambiguo relinquatur judex, destitutus depositione medica circa Lethalitem vulneris, ex inspectione quæ debebat formari: dum in iis, quæ de vita humana agunt, probationes dubiæ ac semiplenæ ad mortem inferendam non sufficiunt. Quamvis cum *Tuschio, Muscatello, Brunnemanno* aliisque *Stryckius l. a. c. 3.* si brevi ab illato vulnere discesserit percussus, etiam non facta sectione, ordinariam nihilominus homicidii pœnam locum habere. & ita in ejusmodi casu a Facultate Viadrina aliquoties decretum fuisse, tradat.*

Negotium proin hoc non, prout incongrue a plerisque Scriptoribus *Hæc doctrina factum, prognosticæ Medicinæ parti accensendum, sed Anatomix practicæ non est pro-* seu pathologicæ specimen videtur: quatenus non de eventu futuro, sed de *gnostica.* facto sive præsentem, per autopsiam reliquarumque circa vulneratum emergentium circumstantiarum collationem decernit Medicus, talem nempe ejus & plagæ fuisse statum, ratione cujus hæc sanabilis, vel insanabilis extiterit. Id est, perinde ac Illustratio Anatomica ejusmodi subjectorum, quæ ex

morbis internis, sive acutis, sive chronicis, perierunt, symptomatum ac ipsius mortis ætiologiæ formandæ, non status ægri vel defuncti futuri, rationem habet: sic vulnerum ex cadaverum inspectione iudicium partis prognosticæ documentum dicere, sanæ rationi refragatur. Cui quidem errori, si non solitariam, certe potissimam, occasionem subministravit hoc, quod nonnulli Medicorum, v. g. *Sebizius*, *Suevus* (quorum nihilominus posterior sub titulo *de Inspectione Vulnerum* opusculum suum vendit) de Vulneribus lethalibus ac non lethalibus non in facto, sed in fieri tantum, seu de metuendis ac sperandis, scripserint, quale scribendi genus utique prognosin spectat: quam circumstantiam alii, de Inspectione ac Iudicio vulnerum suas meditationes evulgantes, non attenderunt, adeoque quadrata rotundis commiscuerunt, propriæque intentioni ac scopo præfixo ridicule contradixerunt. Nec error hic sibi met mansit, sed, ut communiter fieri solet, mox prolis sibi similis genitor evasit, dum factum, ut inter argumenta lethalitatis confirmandæ communiter retulerint, modo partium externarum seu continentium firmitatem & mollitiem, modo instrumentorum lædentium figuram, magnitudinem &c. Ita sæpius cum nausea legi & audivi, vulnus hoc vel illud, v. g. capitis lethale esse, inter alias ob causas quod syncipiti, cujus ossa tenuiora, hinc ad violentiores percussiones sustinendas inepta, fuerit inflictum: cujus pariter acuminis est ratio decidendi hæc, qua eadem capitis læsio, juxta reliqua argumenta, mortalis pronuntiatur, quod a securi, fusti majore &c. contigerit. Cum circumstantiæ hæc non pro lethalitate in cadavere, quam nihilominus determinare Iudex postulat, sed periculo tantum, in vulnerato adhuc vivo, plus minus metuendo ac innuendo, faciant.

Difficilis admodum.

Quod si tamen in ulla quadam functione Medica, certe in hac querelæ *Hippocratis* nostri, *Iudicium difficile*, locus erit, causas sc. sanguinem concernentes decernente, resque hæc magnæ semper difficultatis visa fuit; vel quod læsionis ratio formalis nec inspicienti adeo prompte compareat seu satis evidens sit, vel quod ab hoc ejus conditiones perfunctorie satis attendantur, obscurius ac impertinenter recenscantur, hincque Collegia Peritorum, quæ secundum ejusmodi Acta & Probata, seu Data valde obscura, sententiam de Vulneris Lethalitate dicere debent, ambigua maxime redduntur, Nemesis a nugis his modo intempestive interpellatur, modo plus justo irritatur, utraque ratione Iustitia sanctissima violatur. Quam frivolos ac negligentes in cadavere inspiciendo, absurdos temerariosve in iudicio formando se nonnulli gerant, ad testimonia ejusmodi provocati, quotidiana loquitur

tur Experientia: eo ipso vero dum inspectionem illegaliter peragunt, læsionis phænomena minus technice ac fideliter referunt, circumstantias insufficienter exponunt, nec Prudentioribus, a quibus rei decisionem magistratus postulat, ex difficultatibus ejusmodi se extricare conceditur; hique vel sententiam suam suspendunt, sicque conscientix prospiciunt, vel, quod horrendum, reum absolvi ac innocentem damnari præcipitantia sua faciunt, haud attendentes illud *Gvidonis de Cauliaco de Vuln. cap. 1. Non sis tamen, rogo te, in judicando velox ac subitus, sed deliberatus ac prævisus*: nec illud *Ammiani Marcellini lib. 29. De vita & spiritu hominis, qui pars mundi est & animantium numerum complet, laturum sententiam diu multumque cunctari oportere, nec præcipiti studio, ubi irrevocabile factum est, agitari*; neque *Fieni Semiot. part. 1. sect. 4. c. 1. Si Medicus nimis temerarie judicat, reus est ipsemet mortis & supplicii vulneratoris. i. e. Differente Iob. Baptista Sylvatico, hist. 85. magni momenti res videtur, cum de Iustitia servanda agitur.*

Cujus difficultatis summæ & errorum nefandorum dum recordor, ab Inspectoribus nempe vulnerum seu horum Iudicibus primæ instantiæ commissorum, in quæstionem delabor, qualesnam personæ huic muneri destinari seu ad inspicienda ac dijudicanda Vulnera admitti debeant? dum Legislatores horumque Commentatores modo Medicos, modo Chirurgos, nominant, imo modo solis his, modo tonsoribus ac balneatoribus quoque, deponentibus fidem adhibere jubent, aliis contrarium asserentibus: adeoque ipsimet in diversas partes secedere videntur. Quibus equidem dicam haud scribam, neque magistratum legis hujus causa provocare mihi præsumam: imo ut Medico inspicienti præsto sit vel barbitonsor, vel Balneator, qui in sordidis ac vilioribus operationibus illum sublevet, vel Chirurgus, artis disseccandi gnarus, qui manus non tantum aperturæ cadaveris admoveat, sed suam quoque super vulneris qualitate dicat sententiam, facile largior; potissimum cum ex Iuris peritorum collatione, in specie *Stryckii de Iure sens. cap. 2.* evidens sit, hos non balneatores ac tonsores, ut tales, seu quosvis, sed in rebus Anatomico-Chirurgicis versatissimos, vel qui iudicii sui rationem reddere queant, *Chirurgi non strates ad deponendum minus sufficiens* Medicis ac Chirurgis aut combinare, aut surrogare, Ambiguus tamen hæreo, rem non, ut in thesi, sed in hypothesi & secundum statum nostratensem, considerans, an ejusmodi vel Chirurgorum vel Barbitonsorum in Saxonia aut Germania nostra multi reperiantur, qui de scientia corporis humani, muneri huic expediundo adæquata, jure gloriari queant, licet Magistri utriusque artis examinati & jurati audiant? quatenus quidem omnes præsumpti-

onem ejusmodi peritiæ atque dexteritatis præ se gerunt, plures nihilominus eorum, quod plus quam notorium, nec terminum anatomicum enunciare valent, multo minus ipsius artis sufficientem notitiam habent, vulneraque inter operandum non tam lustrant, quam faciunt; adeoque nec ad secandum, nec ad decernendum, omnium minime ad effati sui rationem reddendam, habiles existunt. Cur E. rudioribus ejusmodi hominibus, sive Chirurgi, sive Tonsores, appellari malint, arduum tale munus & in causis sanguinis definitivam concedamus? cum, animadvertente *Carerio*, non per Chirurgos, sed *Medicos Chirurgicos expertos, vulnus mortale, aut non mortale, esse probetur*. Circumspecte proin *Angelus Aretinus* in *Proœm. Insit.* sentire videtur ajens: *Quando aliquid committitur faciendum alicui, debet committi illi, qui sit peritus in eo, quod faciendum est, & debet esse peritus totius artis, non partis tantum*, hincque infert, quod, *si potestas* (Magistratus forsan) *debeat requirere consilium Medicorum, an Vulnus sit mortale, nec ne, non debeat credere, nec stare Medico qui est Chirurgus tantum, sed oporteat NB. ut sit peritus totius Artis Medicinæ.* Cui subscribit *Fulvius Pacianus de Probation. lib. 1. cap. 47.* ubi *perinde negotium hoc se habere, ait, ac dum Imperator, quando judicium Architectorum vel Mechanicorum requirit, vult ut primates Architecti & insignes Mechanici advocentur, sc. quod NB. mediocriter instructi haud sufficiant.*

Porro quando Medico ac Chirurgo vero Barbitionsores ac Balneatores nostros Sanctiones publicæ, in illorum defectu, substituere jubent, ea, qua decet, observantia has pariter equidem veneror, modo ex earum Interpretibus constaret, qui præter Medicos Chirurgi, & præter hos Tonsores ac Balneatores existant: cum ipsimet nostrates Chirurgi se Barbitionsores profiteantur, omnesque Barbitionsores ac Balneatores jure sui Magistrarii peritiæ Chirurgicæ & Chirurgi nomen atque immunitates prætendant. Adeoque disparitatis hujus ratione haud determinata non apparet, quis horum alteri surrogari debeat: ne repetam, neutris horum prout quidem Provinciæ nostræ eos alunt, (si forsan unam vel alteram rarissimam avem excipias) tantum peritiæ atque dexteritatis, quantum huic expeditioni necessarium, inesse. Siquidem prout (nec in quocunque necessitatis casu) non cujuslibet Prætoris urbani ac pagani arbitrio pœnas delictorum minorum, multo minus homicidii, committunt Leges publicæ, sed vel a Judice Superiore, vel a Collegio Jurisprudentum, Principis Autoritate pollente, demum, quid in Inquisitionis Processu agendum, an reus puniendus, vel absolvendus, ac quo genere pœnæ affligendus, ille quærit ac resciscit, eo quod

*Multo minus
Barbitionsores.*

quod negotia hæc captum ejus superent: ita sane paradoxum valde videtur, Medico Chirurgo peritiori & perspicaci homines, doctrinæ nullius ac peritiæ exilis, aut non, nisi empiricæ, uno verbo, pecora campi succenturiari posse, quasi hi ingenio & oculis obtusioribus talia discernant; quibus dijudicandis majoris sæpe perspicacitatis Homo vix par erat.

Multo minus evidens est, quo fundamento in lethalitate vulneris dubia Medicoque a Chirurgo dissentiente, quidam Doctorum hujus partes præ illius amplexi fuerint, & quo argumento *Mascardus de Probat. Conclus. 1175.* hanc suam consequentiam defendere queat: *Ubi periti discordant, standum est peritiori: idcirco, quando queritur, an vulnus sit mortale, standum est magis Chirurgo, quam Medico?* (Etsi *Stryckius l. a. c. 3. § 21* scribat, hoc asseritum Mascardi vix universalis Conclusionis nomen mereri.) Aut enim nescivit Reverendissimus hic Vir, Chirurgiam Medicinæ partem esse; aut Chirurgi soli, non Medici, Romani, Mediolanenses, Batavini, Placentini aliive, inter quos vel ut Protonotarius Apostolicus, vel ut Ecclesiarum Vicarius, vel sub quacunque conditione ac dignitate vixit, studium secandi coluerunt, & interiora corporis humani noverunt; aut ille infallibilitate Papa suo inferior longe extitit, id est, in conclusione hac formanda egregie lapsus est. Subsumo proin, concessa illius argumenti Majore, eo ipso, dum machinæ, seu œconomix, corporis humani cognitione frequentius ac ut plurimum destituuntur Chirurgi, sine qua nihilominus non, nisi meras nugas, super vulnerum lethalitate proferre licet, his tanquam minus peritis, minus quam Medico, erat standum; quatenus, juxta *Boërium Decis. 323. magis creditur testibus allegantibus legitimam causam, vel rationem dicti sui, quam cæteris, nullam reddentibus, nec reddere valentibus, i. e. trivialibus Chirurgiæ Magistris aut Barbitonsoribus.* Possem hujus loci facere, quæ superius ex *Aretino & Fulv. Paciano* retuli, aut in præsentiarum & pro odiosa hac questione solvenda sufficiant ejusdem *Paciani* verba, quæ loco allegato legere licet: *Major peritia verosimiliter probatur, quando unus est bonus Physicus, & simul bonus Chirurgus, alter vero est tantum Physicus, vel tantum Chirurgus, ex quibus concludit, priorem reliquis duobus præferendum esse.*

Hinc Paradoxum quoque illud miror, in quod abripisc patiuntur nonnulli, si non ex Legislatoribus horumque Interpretibus, certe Legum Administratoribus ad minimum, ac in Foro nostro similiter fieri factumque novimus: ex Constitutione Imperatoris Criminali inferentes, Medicum solitarium, sine parastata Chirurgo, deponere neutiquam posse. Qualis traditio

Medicus etiam solitarius sine Chirurgo deponere non let.

tio postquam frequentiore usu in consuetudinem abiit, Legis publicæ tandem auctoritatem acquisivit; quinimo Collegia Prudentum Vulneris inspectionem, quam sine Chirurgo administrat Medicus, illegalem, secus, quam sine Medico peragit Chirurgus, pronunciarunt hæcenus: perperam tamen in hoc negotio agi, ex antecedentibus evidenter elucescit. Quibus insuper addo, formari a Medicis & ex horum scriptis nostrates Tonfores: in operibus proin Medicis non Directores, non Consiliarios, eorum, quæ penes ægros fieri solent, aut debebant, sed ministrantes atque executores illorum, quæ Medici iusserint, hos agnoscimus: Cur itaque illis potiore locum in hac functione concedamus? cur concedant præter omnem rationem alii? Præterea hominum horum peritiam, si Magistròs in arte sua declarari malint, Medici explorant, iidemque quoties illos in Extispiciis ejusmodi forensibus adstantes & ministrantes sibi habent, observata consignant: ideo, quod spheram illorum hoc negotium longius transcendat, ut ex eorum Relationibus super Vulnera, *Wund-Zetteln* / ad nauseam experimur. Accedit, Chirurgum, qui in Casu quòvis difficiliore, hinc Vulnerationis etiam, Medicorum consilia non implorat, sed negligit, non levem hæc ratione occasionem præstare, per quam a pœna ordinaria absolvatur homicida. Et quid frequentius, quam super Chirurgorum æque ac Medicorum Relationes Collegia Medica (nunquam Chirurgorum Societates) horumque decisiones rogari, & secundum horum consensum ac dissensum illarum vim moderari? Vnde nec in Cadaveris inspectione, hincque concinnando iudicio Chirurgi Medicis censeri poterunt pares, multominus superiores, sine quorum approbatione ad deponendum omni facultate hi destituantur. Notoria perquam est Barbitonforum nostrorum ruditas, per quam plerique eorum nec Calvariam sine Meningum ac Cerebri laceratione aperire; nec abdominis integumenta sine interaneorum perforatione; nec Viscera, horumque vasorum ramificationes evolvere & discernere, multo minus ex visis perite iudicare, norunt. Qualem hominum ruditatem occultare, quam in apricum ponere, malle. Denique attendi meretur, Medicum solum sine Pharmacopœo de rebus Pharmaceuticis, ac de aliis infinitis causis v. g. Impotentia, Virginitate, Gestatione, Partu dissimulato, Potionatione &c. sine alterius cujusdam, ministram tantum aliquam Medicinæ partem exercentis, adiutorio perite, sufficienter ac legaliter deponere: quid obstat, quominus super Vulnerum lethaltate idem solus & absque adstante Tonfore, iudicare queat, qui non hanc vel illam tantum, sed cunctas Artis partes, callet. vid. *de Offic. Med. part. 2. cap. 3.*

Circa

Circa Medicum tamen ac Chirurgum, Inspectioni ejusmodi præficien- Non postulen-
 dos, adhuc monere conveniet, ne horum illis, qui Percussio decumbenti tur ad depo-
 medebantur, hoc in eodem defuncto deponendi munus committamus: secus, nendum Me-
 ac olim *Welschium* nostrum sensisse novimus. Dum hoc ipso, ubi de vulne- dicus & Cibi-
 ris lethalitate per se ac per accidens quæstio in primis emergit, aut a percussoris rurgius, qui
 Defensore in litem trahitur, an illi in Medela perite & secundum Artem ege- Sulnerato
 rint horumve nihil neglexerint, hi de lethalitate ejusdem individui seu in pro- biro medeban-
 pria causa i. e. lege Artis medelam se administrasse, ac omnem diligentiam tur.
 adhibuisse, testari seu judicare nequeant; nisi defensori ad lites inutiles, &
 Judicem in sententia de homicidio ferenda conturbantes occasionem suggere-
 re malimus. Quale quid *Facultas Nostra* in Casu hujus generis Anno
 1706. mense Augusti ad Tettavienses respondebat his verbis: *So ist auch*
vors andere / pro legalitate in ejusmodi actu observanda, besser / daß nicht
derjenige Medicus und Chirurgus, welche den Entleibten in der Cur gehabt /
sondern andere Personendergleichen Section und Besichtigung verrichten /
da absonderlich die Frage: An Vulnus per se, an per accidens lethale?
und hierbey; Ob der erste Medicus und Chirurgus dem Patienten recht und
wohl vorgestanden? in Zweifel gezogen werden mag / da ja diese in pro-
pria causa nicht süglich testiren können.

Sed missis personis insipientibus, rem ipsam aggrediar, ubi sane præli- Quid Vulne-
 minariter monendum, Vulneris nomine non illam tantum continuitatis ris nomine hic
 partium mollium, cæsim, punctim, similive modo factam solutionem hic feniat?
 venire, sed quamvis ab ictu externo & violento partium solidarum, mol-
 lium pariter ac duriorum læsionem illud designare, sive hæc sui sensibile vesti-
 gium pone se relinquat, sive secus. Adeoque sub censura hac præter vul-
 nera proprie dicta stant tumores, fracturæ, v.g. Calvariæ, luxationes vertebra-
 rum spinæ, contusiones hincque ortæ rupturæ, compressiones, v.g. cerebri,
 ac quævis percussiones, actiones vitales aut animales turbantes vel intercipien-
 tes: ita quidem ut hinc quibusdam Ictus Percussionis vocabulum præ vulneris
 notione placuerit. In specie vero præter vulnera cruenta Medicorum effa-
 tum frequentius postulat commotio cerebri, quam graviora symptomata,
 imo aliquando mors immediate, excipit, juxta *Hippocr. 7. aph. 58. Quibus ce-*
rebrum concussum fuerit, ex aliqua causa, eos statim voce privari. necesse est;
 vel ut *Galenus* explicat, ac quotidiana evincit experientia, eodem modo ac apo-
 plectici, sine omni motu ac sensu prosternuntur. Et quidem non illi tantum,
 quibus a vasorum ruptura aliqua sanguinis profusio ad ἐνκέφαλον contingit,
 B sed

fed ubi nihil plane hujus obſervare licet; ex ſymptomatis nihilominus gravioribus morteque præcipiti texturam cerebri tenerimam hujusque canaliculorum molliſſimorum atque exilium faſciculos enormiter contractos, complicatos aut quacunq; ratione a ſtatu & habitu naturali dejectos auguramur. Cui violentiorem quoque regionis Epigaſtrica ac Hypochondriorum percuſſionem jungo, ad ſuffocationem & aſphyxiam diſponentem, atque aliquando ſine vulnere tumore ve patulo enecantem: cujus phænomeni penes ſcriptores equidem raro mentio fit, niſi quod *Fortun. Fidelis* oris ventriculi ſeu Epigaſtrii percuſſionem aliquando enecare perhibeat, & quidem propter ſtomachi ſeu oriſicii ventriculi ſuperioris dolorem exquisitum maxime. Ego nihilominus Anno 1673. die 6. Maji requiſitus a Prætorè hujus urbis diſſecui cadaver virile hominis, qui a jactu lateris dimidii, aliquot librarum, hypogaſtrium dextrum impetente, ſubito concidens exſpirat: in quo nihil integumentorum, nihil viſcerum vaſorumve læſum laceratumve offendi, niſi quod in diaphragmatis illo loco, quo coſtis nothis ejusdem hypochondrii hoc contiguum, aliquid contuſionis & ſuggillationis, ambitu ſuo vix dimidium imperialem æquantis, mecum viderint adſtantes, perierit tamen ex ictu hoc infauſto miſer ille. Ne igitur & percuſſionis terminus juſto ſtrictior videatur, quemlibet ictum læſionemque, quæ manu violentiore, aut nuda, aut instrumentis nociferis armata, inferitur, hic concipere licet, de cujus lethalitate quaſtio eſt: ita, ut præter caſus, quos ſuperius innui, hujus quoque forſan loci ſint plures alii, v. g. violentior uteri parturientis ſub ſecundinarum ſpecie, ab imperita & imprudentiore Obſtetrice facta extractio, qualem hæmorrhagia, inflammatio, delirium & convulſiones lethales ut plurimum ſequuntur.

Cadaver ſecandi & aperiendi rationem prolixius declarare præſentis negotii haud videtur, qui Medicis harum rerum peritis hæc ſcribo: quinimo illorum prudentiam laudo, qui ſe modulo ſuo metientes, & quod in Reſectionibus adminiſtrandis ſe non ſufficienter exercitatos norint, ejusmodi ſecandi & inſpiciendi, hincque teſtificandi munus, poſtulati quamvis, modeſte detrectant. Sufficiat in genere dixiſſe, ſingulari prudentia ac dexteritate Vulnerum inſpectiones eſſe peragendas, ſi non ſecundum regulas a *Carpzovio prax. Crimin. part. I. quaſt. 26. p. 43. & Celeberr. Stryck. l. a. cap. 2 §. 33.* certe ſub ſimilibus & frequentis forſan tenoris animadverſionibus ac monitis traditas.

In Inſpectione
Cadaveris ob-
ſervanda cau-
tele.

Primo nempe inſtituatur ejusmodi Viſitatio ſatis tempeſtive, i. e. quantum licet, brevia deceſſu Percuſſi, pro declinanda putredine Cadaveris & Fræcedine hinc ſuperveniente: qualis Medicum in inſpectione accuratiore tur-

bat,

bat, putredine corrupta & arrosa Interanea læsionum illatarum conditionem genuinam occultant, & commode has evolvi minus concedant. Ad qualis sane cadaveris lustrationem nec adigi potest Medicus, nec, si sub tali cuncta penitus non adverterit, hinc minus exquisite deponat, imperitiæ vel negligentia accusandus erit. *Deinde* caveat a Styli similiumque instrumentorum, antequam interior Vulneris facies detecta, improvida intrusione. Sane sicut in Percussio vivo adhuc Specilli tentativi, pro Vulneris profunditate similibusque conditionibus explorandis, usus a *Wurzio* jamdum *Chirurg. I. cap. 6.* non sine evidente ratione, improbatus fuit, castigatur etiam ab aliis, quasi fodicando partes interiores laceret, hinc Vulnera profundiora & latiora reddat &c. pariter metuendum erit ab ejusmodi scrutinio in defunctis, utpote ambiguum reddit inspectorem, an a suimet, an vulnerantis, tela plagæ conditio, ex qua Lethalitas determinanda, dependeat. Erroris ejusmodi crassioris quam maxime paradigma Acta Fac. nostræ 1699. mens. Martii suggerunt. Ubi Vulneri Frontis a Globulo sclopetario facto, Chirurgus rudior instrumentum ejusmodi ad digiti profunditatem immiserat, neque a violentiore ejus impressione & agitatione cesserat, donec Corpus solidius, quod globulum augurabatur, offenderit, hæcque non sine cerebri laceratione & mortis acceleratione, dum inprimis hæc ratione Calvariæ fragmenta illi profundius impacta, hinc plaga magis dilatata & elongata, fuerit. Cui ex *Strykio* l. a. n. 34. addo, ab impertinente ac rudiore Styli sciscitatorii per Chirur- gum imperitum applicatione in Cadaveris aperti Pulmonibus diversa Vulnera fuisse reperta, quorum quod ense occisoris, quod instrumento Chirurgi, illatum, ambiguum manserit.

Tertio, sedulo & exquisite non tantum in partem læsam & plagæ evidentis conditiones cunctas disquirat Medicus, sed totum insimul cadaver, an forsitan aliud insuper in eo Vulnus lateat, seu omnes ejus ictus, tumores, vibices externas perlustrat, quo ab his similive phænomeno ad internarum læsionum investigationem feratur. Imo quamvis nihil ejusmodi vestigiorum compareat, minime tamen Sectio & interaneorum evolutio ulterior negligatur, si nimirum Defunctum violentiorem percussionem passum fuisse innotescat, aut præsumatur: sed Medicus, quam in uno membro non invenit mortis causam, in altero scrutetur; inprimis si de homicidio tumultuario, aut plurium ictuum illatione, constet; adeoque caput non minus ac thoracem & abdomen horumque recessus atque contenta, omni studio perlustrat. Ita ut si plures ictus offendat, horum singulos cum eorum circumstantiis annotet, quo, quæ de-

num Lethalitat̄is potior existat occasio penitius eruatur: aut si forsan læsionum diverfarum neutra mortalitati inferendæ sufficiat, num earum binæ vel trinæ simul idem præstent, commodius disquiratur. Habet etiam sollicita ejusmodi investigatio hoc emolumenti ut, si forsan percussiois evidentis lethalitas aut nulla, aut dubia, verior & latens simul, v. g. apostema internum, hydrops, manifestetur, in subjecto præprimis hætenus valetudinario, aut ignoto etiam, sicque ab homicidii suspitione liberetur percussus.

Laesiones partium internarum non semper sui vestigia externa habent.

Ab ipso *F. Fideli* l. 4. f. 5. c. 1. jamdum annotatum legimus, non quamcunque partem percussam semper livorem seu ecchymosin ostendere, nisi venis, iisque non admodum alte positis prædita sit, aut si in nervosas aliasve minus carnosas partes inciderit percussio. Ac sæpe ne levissimo quidem percussiois externo vestigio comparente, interiora corporis enormius lacerata deprehendimus, mihiq̄e plura ejusmodi obtigerunt subjecta, qualium dissectionem frustra aut præter rationem postulari, videri poterat, ubi tamen partes reconditas mortaliter læsas autopsia declaravit. Hujus rei exempla *de Offic. Med. libr. 2. c. 4.* aliquot adduxi, inferius quoque talia recensere occasio feret: ne pluribus Lectori molestiam hic pariam. Infero potius ex his, cautum & circumspectum postulari Profectorem in percussioinum lethalitate investiganda, neque hunc renuere aut subterfugere debere perlustrationem partium exquisitiorem, utut laboriosissimam, & sine violentiæ quoque ab extra illatæ nota præmonstratice.

sectio circumspecta semper opus.

Quarto E. quia ejusmodi inspectio atque evolutio sine sectione fieri nequit, hæc nunquam negligatur, aut perfundiorie administretur, aut rudiori Chirurgo, ut superius monitum, concedatur: quo læsionis forma penitius & quoad singulas circumstantias pateat, nullaque harum negligatur, quæ judicio de illa ferendo litet. Neque enim, quam ab externi vulneris obtutu, contactu, aut ejus aliquali diltatione, aut styli tentatorii intrusione sibi nonnulli promittunt, exploratio læsionis profundius latentis conditionibus singulis manifestandis adæquata existit, sed fallax omnimode, ac suspecta deprehenditur, prout superius monitum. Ipsa vero hæc sectio suspensa ac provida maxime celebretur manu, ab illo, qui operationum anatomicarum ignarus, vix expectanda: & qui dexteritate hac secandi destituti Vulnera non raro facere potius, quam investigare, videntur. Ac eo ipso, dum Chirurgos nostrates huic negotio minus pares esse, novimus, vasa hinc inde, membranas cerebri, ipsumque Cerebrum, Intestina, &c. per incuriam atque imperitiam lacerantes ac perforantes; prudentioris Medici erit, propriis potius

potius manibus talia administrare, quam rudioribus his hominibus committere.

Quinto majore circumspectione opus est in puncturis illatis, quæ in partibus internis ob instrumenti perforantis apicem angustiores seu acuminatam valde sapius eousque connivent, ut minus lyncei atque attenti Professoris oculos & manus facile fugiant: adeoque horum terminus ultimus sollicitè magis persequendus. In specie sclopeto facta Vulnera indagine curatiorè opus habent, utpote quorum globuli miros & tortuosos adeo tractus ut plurimum describunt, ut horum tendentias anfractuosas stupefcant aliquando curiosior oculus, offendens ultimum globuli terminum & interancorum, quæ ille perforat, læsionem plagæ externæ minus directo respondentem & inadæquatam maxime. Multa hujus observati possem tradere exempla ex pluribus subjectis ita interentis: nisi unum vel alterum dictis comprobandis sufficere crederem.

Anno 1678. mense octobris, ad Requisitionem Quæstoris Sceudizensis, cadaver militis cujusdam globulo sclopetario interfecti, visitabam: qui globulus quamvis per rectam satis lineam thoracem penetrat, dum prope papillam dextram, inter quintam & sextam costam pectus subierat, & dorsi idem latus inter septimam & octavam trajecerat, ita ut unam costam anticarum maximam partem, posticarum omnimode, confregisset: miris nihilominus & tortuosis ictibus, seu sub totidem refractionum ratione, diversa interanea, plagis Thoracis externis haud æque intermedia, simul lacerata cernebantur; inferior nempe Pulmonis dextri Lobus simplici, ast amplo, Diaphragma duplici, vulnere, item Epatis connexa & Septo annexa pars, cuncta ratione a priori minus explicabilia. Pariter Anno 1687. mense Junii vocatus a Commissariis Serenissimi Ducis Martisburgensis inspexi cadaver juvenis, bombardæ manuaræ globulis binis, hinc duplici vulnere, interfecti: quarum sphaularum una per lumborum sinistrum, prope Costam ossis Ilei, oblique sursum ad Hypochondrium ejusdem lateris conversa Lienis faciem gibbam profundius laceraverat, hinc per Diaphragmatis ambitum carneum ac Pulmonum sinistrum lata in costarum superiorum tertia figebatur; dum alter globulus Natum sinistram & Musculos Gluteos itidem oblique sursum una cum Ilium osse & Musculo Iliaco perforaverat, ita tamen ut hunc, sedulo quamvis inquirens, neququam, sedamentum tantum ejus exiguum, quasi laminatum, invenire potuerim. Quibus adjicio Vulnus globulo Sclopeti majoris 27. Jun. Anno 1706. Feminæ Tauchensi illatum, qui summitatem

humeri dextri, hujus musculos & superiorem costam ad cavitatem pectoris penetraverat, & in hac Pulmonis dextri Lobum superiorem superficialiter laceraverat, simul tamen Arteriæ pulmonalis truncum una cum lobo superiore sinistro & Costa ejusdem lateris sinistri secunda perfregerat ac Claviculam notabiliter conquassaverat, tandem Brachium sinistrum ad Humeri usque partem superiorem permearat.

*Sectio non
semper Cau-
sam media-
tam declarat.*

Interim, Lustrationis ejusmodi auctoritati nihil derogabit, si per illam Lethalitatæ Causa mediata vix semper evolvatur, & aliquando nos ad decernendum de illa urgeamur: modo de hujus effectu, seu causa mortis immediata certi reddamur. V. g. in casu, quo Vasorum Lymphaticorum lacerationes, propter horum teneritudinem, nec per industriam satis visitationem conspicuæ fiunt; comparat nihilominus lymphæ extravasatio notabilis, illarum necessaria atque immediata pedissequa. Simile quid de enormiore quoque Cruoris ad ventrem hunc vel illum profusione seu collectione, vasorumque evidentiore exinanitione aliquando judicare, sana ratio suadet: ut ut hæc horumque perforationes aut rupturæ, ob sui exilitatem, minus conspicuæ extiterint, annuente *Facultate Nostra* in Responso 1692. mense Maji, & in alio, Anno 1707. mense Augusti, dato.

*Lesiones par-
tium interna-
rum sæpe sunt
sine Vestigiis
externis.*

Quemadmodum nec de Lethalitate ideo mox ambigendum, adeoque Sectio ac Lustratio Interaneorum, quasi minus necessaria, negligenda, quod violentiæ periculosioris illatæ nulla extrinsecus seu in habitu compareant signa. Quales casus dum crebriores, ita horum quoque diversos *Collegii Nostræ Acta* suppeditant. V. g. Anno 1705. mense Julii Procurator Fisci Smalcaldensis ad illud deferebat, in cadavere feminae sex vel septem menses gravidæ, in agro reperto, Diaphragma manus longitudine disruptum, absque ullo signo externæ percussione, nisi levi dorsum versus rubedine, visum fuisse: unde Medicus ac Chirurgus, qui Visitationi præerant, sibi & Iudici persuaserint, non tam a percussione quadam externa, quam per modum suffocationis seu aeris interceptione, ruptum fuisse dictum sepimentum. Cui tamen respondimus, Crepaturam hanc Diaphragmatis neutiquam ab Aeris compressione, quin potius ab ictu externo evenisse, etsi nullum ejus vestigium extitisset: quod in illis præprimis contingat Percussis, qui subitanea valde, & ictibus ejusmodi mox superveniente morte intereunt, antequam sc. ex ruptis a percussione vasis capillaribus tantum sanguinis, quantum ad conspicuam suggillationem formandam, necessarium profundatur. Liceat mihi addere, in strangulatis, seu suspensis, me nunquam aliquid rupturæ in Dia-
phragma-

phragmate observasse, nec memini ab aliis Professoribus talem visam fuisse: neque immensior Pulmonum, aere turgentium, inflatio ad Diaphragma rumpendum satis potens videtur, illorum compage atque textura teneiore, tenacius & compactum magis, quodque sub constitutione ejusmodi deorsum, sine ulla sui renitentia, explicatur, cedentibus ipsi promptissime abdominis partibus continentibus cum contentis.

In hoc interim *Claros. sentent. §. homicid. Farinacio Conf. 100. num. 17.*

Zacchia l. 5. tit. 2. quest. 3. n. 2. 3. 4. Carpovio prax. crimin. part. 1. quest. 26. *Que autopsia*
 n. 4. aliisque Legum Interpretibus auscultandum, ne Percussiones quas autopsia in se mortiferas testatur, propter aliam quandam causam, obitum percussili quæ forsan juvare vel accelerare poterat, supervenientem vel præexistentem, minus seu per accidens tantum lethales arguamus v. g. si vulnerato nullus aut imperitus adhibitus fuerit Medicus vel Chirurgus, si neglecta in casu ejusmodi consveta & adæquata remedia, aut vulnerati pravum regimen accedat; verum non obstantibus his vulnerantem per Leges de occiso teneri. *mortalia in-*
 Et locum tantum habet hujus generis exceptio, ubi læsio illata hujusve Lethalitatæ signa dubia: contra, ubi hæc certiora, ac vulnerato præsidia necessaria denegata. *nuit, vulnera per alia supervenientia aut combinata*
alia per accidens dici nequeant.

Assertum hoc durum nimis videri poterat non frivolis tantum Homicidarum Defensoribus, sed Medicis quoque & horum Collegiis incautioribus, minus pensitantibus, quod, quamvis, quæ per imperitiam neglecta essebantur, studiosius administrata fuerint, hæc nihilominus per ipsius plagæ conditionem, huic medendæ haud paria contigerint: quod imprimis comprobant Collegii Nostri Responsa diversa. Ita v. g. 1702. mense Aprilis ad Christianum Olsen / Administratorem Jurisdictionis Grisavienfis in Garnstedt / & Mense Maji ejusdem anni ad Quæstorem Torgaviensem respondebat idem in puncto Percussionum capitis per se lethaliū, quas Patroni causarum nihilominus, ob medelam negligentiore & remedia congrua posthabita, per accidens solummodo tales agebant, illas, his erroribus sc. non obstantibus, mortiferas per se pronunciano. Mense Junii similiter deponobat de triplici Epatis Ruptura, quam quidam Medicorum, per accidens tantum lethalem redditam asseruerunt: non obstante plagam lustrantium judicio, a Facultate Nostra confirmato. Hoc ipso Anno 1710. mense Martii Zvickaviensibus simile quid rescribatur circa Capitis contusionem, cui remedia congrua pariter minus adhibita fuerant, eam, quia brevius discesserat vulneratus, neque ante Sectionem cadaveris seu in Subiecto adhuc vivo Calvariæ fracturæ habi-

In specie neglecta aut minus perite administrata medela vulnus semper per accidens lethale reddit.
Exempla.

habitudinem exactius dignoscere, hinc Instrumenta Chirurgica secundum Artem & cum fructu administrare licuerit, per se lethalem pronuntiando.

Nisi Lethalitas forsan dubia.

Secus tamen in Lethalitate vulneris minus evidente, si errores obitum antecesserint, iudicabatur, v. g. Mense Ianuarii 1706. ad Requisitionem Caroli Friedebert Bartholi, Desslaviensis, de Capitis pariter percussione. Nempe, cum in hoc casu Cruor extravasatus Calvarix & Duræ Meningi tantum incubuerat, hic autem primis diebus per Sanguinis missionem, Cutis incisionem ac Trepanationem educi forsan valuerit, his neglectis Læsionem illam, per accidens tantum lethalem fore dicendam. Cujus etiam generis est Responsum Anni ejusdem mensis Aprilis ad Lubecenses, de Calvarix fornicæ fractura, hanc equidem difficilem atque periculosam valde videri: quoniam nihilominus Percussa sine affectibus comatosi, convulsionibus, deliriis aliisque in simili casu frequentioribus, ad septimum diem commode satis degerit, quantitas sanguinis extravasati exigua admodum; ac Cuirurgus tardius accersitus fuerit, hic in plagæ exploratione minus industrium se gesserit, neque sanguinis missionem, Epithemata aliaque hujus generis præsidia ministravit, interim nulla partium læsarum in putrefactionem abierit, eam per se lethalem declarari vix posse.

Aliquando sufficit partem primario læsam tantum lustrasse, non alias.

Illegalem Inspectionem hincque Vulneris Mortalitem ancipitem redere nonnulli satagunt, si, hoc quamvis gravi & in se lethali in aliquo membro viso, illa mox abrumpatur, ac cæterarum partium plus minus nobiliorum nulla simul fiat lustratio: num, forte in harum una alterave par aut potior mortis causa reperiatur? Verum utut minime diffitear, in ejusmodi nos aliquando incidere casus, ubi plures simul sectione indagare partes consultum atque necessarium: si nimirum læsionum plurium extrinsecus observentur vestigia, aut diversas illarum percussas signa probabilia vel adstantes innuant; item si aliquam ex his morbo latente affectum, alias constet, ac Lethalitas in una parte nondum evidens deprehendatur. In qualibus sane cæterorum quoque ventrum interanea perquirere jubemur, ne aliquid eorum negligi videatur, quod Iustitia exigit: sin vero nullum membrorum aliorum, sive ab extra, sive ab intra, læsarum compareat signum, Vulnus in illo, quod in primis percussum novimus, vere lethale advertatur, prolixiore cæterorum viscerum evolutione minime opus; & legaliter ac secundum Artem agit, qui talem haud suscipit, ad stipulante hoc in passu Responso Facultatis dictæ duplici, Anni sc. 1685 mens. Decembris & 1706. mense Augusti; hujus circiter tenoris. Si in capite v. g. percussio mortifera cernatur, simul sedula & exquisita facta

facta indagatione penes agnatos aliosque familiares de percussi valetudine pristina, nihil tamen morbi antecedanei hinc innotescat, minime illegalem dicendam esse Inspectionem, quæ membri manifeste & lethaliter affecti tantum rationem habuit, Capitis v. g. postabita Thoracis ac Abdominis apertura.

Mense Octobris 1708. Dominis Scabinis Lipsiensibus respondebatur, dum percutientis Promachus contra Lethalitem, a Medico & Chirurgo secantibus assertam, urgebat: quasi Inspectio ab his Lege Artis non fuerit administrata, ideo, quod Thoracem non simul aperuerint, in quo forsitan alia internecionis causa, Cordis e. g. Polypus, fuerit reperta, innuente tale quid Dyspnoea non levi, qua defunctus olim pressus fuerit: eo ipso, quod ictus graviores in Capite sustinuerit defunctus, spuma circa ejus os, Epilepsia gravioris nota, mox comparuerit, & mors brevi supervenerit, percussum non ex Paroxysmo asthmatico ac morbo pectoris latente, sed ictu capitis & Commotione Cerebri graviore, periisse. Circa Capitis saltim Læsiones insigniores & cum vehementiore Cerebri commotione factas, monendum, forsitan non inutile fore his defunctorum Thoracem ac Abdomen simul cum Capite aperire: si nimirum febrem ardentem valde cum rigoribus erraticis, dolorem Hypochondriorum punctorium, item Cervicis, summam spirandi difficultatem atque inquietudinem decumbentes passi fuerint. Utpote in qualium cadaveribus, Pleuram, Pulmones, Epar ac Lienem frequenter plus minus suppurata offendere, hincque Percussionis gravitatem insuperabilem magis judicare licebit. Difficultatem equidem anhelitus *Pareus Libr. 9. cap. 9. a 10* propter impeditam facultatem animalem, quæ movendi virtutem ac Cerebro Musculis Thoracicis impertiri debebat, fieri opinatur: Verum aliud docuit modernos Observatores Experientia, sc. Epatis, Pulmonumque inflammatorum symptomata, esse sphaelati Cerebri productum.

*Nisi in Capitis
Læsionibus
enormioribus.*

Tandem vero per quaecunque demum causam vel errorem Medici & Chirurgi Depositio insufficiens aut imperfectior videatur, haud tamen semper tanti momenti existit, ut Lethalitati, si quæ subest, omnem vim ac pondus subtrahat: modo per istam percussione illatæ conditiæ & circumstantiæ Lethalitem inferentes sufficienter ac perspicue annotatæ ac enarratæ fuerint. Secus, si ex rudiore ejusmodi Visitatione de his minus constet, ex quibus nihilominus super Lethalite formari poterat ac debebat sententia. Prioris generis inconcinna Inspectio admittebatur a Facultate Nostra Anno 1670. mense Novembris, facta in cadavere vulnerati Rustici a Pharmacopoco ac duobus Chirurgis, satis inepte ac imperite deponentibus, Ligamenta sc. Pulmonum

*Nec Medici ac
Chirurgi in-
cepta inspectio
vulneris ut do
hoc facta ine-
pta depositio
per accidens
lethale reddidit
hoc.*

fuisse lacerata, Ventriculum Cordis vulneratum haud nominantibus &c. Quod nihilominus plagam in Pulmone latitudinis binorum digitorum & in Ventriculo Cordis profundam admodum adnotaverant iidem Profectores aciei obtusioris, ac vulneratus tantum non intra Nycthemerum obierat, læsio per se Lethalis ab eodem Collegio pronunciabatur. Posterioris vero notæ, i. e. nullius plane ponderis ac autoritatis videbatur Relatio medica, a Causidico quodam Oppidi Stadthagen 1672. mense Iunii transmissa, in qua inter alia hæc legebantur verba: *Cruor & Serum ad cavitatem Thoracis copiosius profusa circa Orificium Ventriculi sinistrum & Vena Circulum utrumque nervosum super diaphragmate hærebant. Post diuturniorem & solertiorem Visitationem cernebamus duo vulnuscula exiliora in ramis bifidis Vena Cava descendentes sub Corde ad utrumque latus Vertebra, cui septima Costa alligata est, disseminatis &c.* item, *In hoc tantum Pulmonum Lobo, qui mediante Mediastino loco affecto annexus erat &c.* Unde Collegium respondebat: equidem Percussionem hanc per se lethalem videri, ideo, quod multum sanguinis extravasatum, & vulneratus quinto mox die sub gravioribus symptomatis obierit; ex obscuriore nihilominus eadem Relatione nihil categorici de hoc casu decerni posse.

Interim hoc quoque attendi meretur, illos, qui pro Visitationibus Cadaverum cavillandis & Iudice confundendo conquiruntur ac finguntur defectus aliquando parvi momenti existere, si ad artis Fundamenta ponderentur; adeoque a Collegiis Peritorum optimo jure rejici: qualium unum alterumve innuere, ere erit. Anni videlicet 1667. mense Februarii Arnurus quidam Wittebergenfis de vulnere Hypochondrii sinistri, Ventriculi duplici, Epatis ac Mesenterii, cum insigniore Cruoris ad Abdomen profusione, litem movebat, num hoc jure lethale fuerit pronunciatum? & inter alias dubitandi rationes Inspectionem illegalitatis accusabat ideo, quod Cruoris extravasati quantitatem minus accurate & non pondere determinarit, nec Symptomata Plagæ supervenientia cum vasis laceratis recensuerit Professor: hincq; Collegium, cujus decisionem implorabat, in Lethalitate determinanda dubium valde reddebat. Cujus tamen indicia seu documenta satis evidentia exhibuerat ipsa Sectio, quam perstringebat iste Causidicus; Ventriculum nimirum in fundo pariter ac prope Orificium inferius, ac Epatis cavum non procul a vesicula fellea, perfossa, simulq; enormem sanguinis profusionem. Ex quibus profecto phænomenis Vulnus hoc per se lethale fuisset dicendum, expirante imprimis vulnerato, mox & vix horis novem elapsis: nec perpetuæ necessitatis videtur; Symptomata supervenientia ac Vasa læsa nominare, Cruoremque

potissimum
si defectus il-
lius depositio-
nis non magni
momenti fue-
rit.

statera ponderare. Similiter Anno 1701. a Stargandensi quodam Iuris Practico Collegii Nostri postulabatur iudicium super Vulnus Abdominis, lethale a Medico atque Chirurgis declaratum, a Defensore nihilominus Vulnerantis impugnatum, ideo, quod quamvis notabilis Cruoris quantitas in Ventris dicti cavitate fuerit visa, Vasorum tamen laceratorum rami vel truncus minus annotati, nec Intestini Ilei plagæ profunditas & latitudo circumscripta. Responsum autem ferebat: Etsi Iudicium prosectorum omnibus numeris haud absolutum videatur, dum Vasa Mesenterii læsa num majora minorave fuerint, non determinarint, hoc nihilominus valde suggillatum, & sanguinis profusi ingentem quantitatem dum annotarint, Lethalitatē evidentem rationem eos reddidisse. Pariter licet in Vulneris Ilei descriptione non adeo accuratos se gesserint iidem: eo ipso tamen, dum lacerationem dictorum Vasorum, hincq; enormiorem sanguinis profusionem mortem intulisse, abunde constat; nec hanc negligentiorē Ilei lauciati lustrationem Lethalitati evidenti derogare.

CAPVT II.

DE

LETHALITATE VVLNERVM
IN GENERE.

LÆsionum vero harum Percussionumve dum quædam Lethales, quædam Non Lethales, pronunciantur, ratione Lethalitatē supponendum, eam prudentiores non ex eventu deplorando tantum concludere, neque omne vulnus, quod mortem pedissequam habet, mox cum Vulgo mortale proclamare; sed quod revera & ut tale, mortis insequentis causa extiterat, & quia non sanabile, mortem intulerat. Quippe quamvis non omnis plaga insanabilis simul atque necessario lethalis sit, ac Lippis quoque & Tonforibus de differentia inter vulnus insanabile ac lethale constat, proin a *Celfo* non adeo congrue forsitan mortiferum insanabile dicatur, dum ipsa experientia evincit, membrorum non tantum quorundam externorum, sed viscerum etiam, quædam vulnera, modo cum symptomatis plus minus molestis, modo sine his, vulneratis plures annos ac non raro ad decrepitam usque ætatem manere, & nulla arte consolidari seu sanari posse. (Quatenus præter alios Scriptores *Platerus obs. p. 880* de quodam Capitano, in abdomine sauciato, perhibet, hunc per multos annos incolumem fatis, per fistulam, a vulnere intesti-

Vulnus insanabile & lethale ut differant?

nī atque abdominis remanentem, stercus cum euphoria quotidie excrevisse. Pariter ex *Cornace & Jul. Alexandrino Schenckius* vulneris ventriculi, Rustico cuidam Bohemo venabulo illati, meminit, quod nulla arte seu consilio consolidari poterat, id est, insanabile existebat, vulnerato nihilominus per plures annos superstitite, & ventriculum ad lubitum per aperturam, a vulnere relictam, eluente seu evacuante.) Eo ipso tamen quod mortem inferens vulnus propter sui insanabilitatem funestum exista, quia nullam medelam admittit, omne quidem mortiferum insanabile, non vero omne insanabile mortiferum, appellari potest, adeoque vulnerans non de morte, sed de vulnere tantum, tenetur.

Quo proinde ratione, super vulnere lethali iudicandi, plenius constat, quia sicut in quibusvis casibus, ita in homicidio quoque, antequam corpus delicti huiusque cunctæ circumstantiæ ac conditiones, imprimis vero, an occisus ex illata violentia seu percussione perierit, pateant, Icti poenam mortis haud decernunt, ac ab ordinaria, si occisus non a vulnere, sed culpa Chirurghi, malo regimine, vel alia de causa superveniente moriatur, reum absolvunt: illud vulnus Lethale, mortale seu mortiferum asserunt, quod plus tendit ad mortem, quam ad salutem, & mortali vulnere affectum dicunt, qui secundum artis Medicæ regulas, seu cum tota peritia Hippocratis & Galeni, non, nisi cum magna difficultate, evadere potest. Neque enim confundenda sunt vulnera periculosa cum lethalibus, sed ex Chirurgorum Medicorumque scriptis, horumque collatione, aut per ipsam experientiam supponi debet, vulnera non tantum majora & penetrantia, sed interdum exilia ac superficialia satis, sæpius cum magno minoreve mortis periculo combinari, imo plagis levissimis tristes aliquando contingere eventus: multum nihilominus ab his recedunt Lethalia seu Mortalia.

*Quid Vulnus
Lethale?*

*Quid Vulnus
per se & per
accidens le-
thale?*

Quare primo solennis maxime penes Medicos æque ac Jurisperitos observatur distinctio inter Vulnus *per se* & *per Accidens* lethale: quorum illud lethale κατ' ἐξοχήν etiam dictum, sine alterius causæ interventu mortem immediate producit: *Per accidens* vero lethale seu indifferens audit, ex quo, ut tali, seu immediate, nullus vulneratorum perit, sed percussi modo convalescunt, modo satis cedunt, pro diversa nempe medentis industria ac peritia, ægri probo pravoque regimine & similibus circumstantiis, ut causis intermediiis, ex vulnere non mortali aliquando mortale facientibus. Deinde *per se* lethale denuo deprehenditur vel *de necessitate* seu *simpliciter & absolute*, item juxta Hippocratem, maxime, juxta Gvidonem de Cauliaco valde, vel non necessario seu *necessario*, sed ut plurimum tantum seu frequentius, tale. Ita ut illud dicatur, quod

*Quid simpliciter
seu absolute
lethalis & non ne-
cessario seu*

quod omnem medelam detrectat, ac semper brevique intermit; non necessario vero vel ut plurimum duntaxat lethale, cujus curatio ut plurimum male succedit, non tamen semper, aut tardius demum, interficit. Id est, potest aliquando Plaga existere in se ut plurimum lethalis, vulneratus nihilominus convalescere, quemadmodum alii morbi, tametsi sua natura ut plurimum lethales sint, interdum & a quibusdam superantur: seu possibile est, vulneratum lethaliter, per singularem, ut communiter ajunt, corporis texturam ac naturæ robor a vulnere liberari ac sanari, alium nihilominus ex morbofo corporis apparatu, textura ejusdem teneriore &c diem supremum obire.

Frequentius equidem τὰ *per se*, & *absolute* vel *de necessitate* lethale in Relationibus ac Judiciis a Magistratu postulatis, non tantum Balneatores hujusque generis homines rudiores, sed illi quoque, qui inter Medicos eruditos ac dogmaticos recentiori gestiant, quinimo ipsa aliquando Peritorum Collegia, pro synonymis habent ac exscribunt, vulnerique per accidens lethali opponunt: Quibus & ego in hoc subscribo, quod omne simpliciter ac necessario lethale per se etiam tale dici queat ac debeat: minime tamen vice versa omne per se lethale simpliciter seu ἐξ ἀνάγκης tale pronunciarī valet, ut ex antecedentibus elucescit. Haud operosum adeo mihi foret, diversa diverforum Collegiorum hujus generis absona producerē enunciata, quibus τὸ *simpliciter* & *absolute* lethale huic, quod *per se* lethale, substituunt, seu unius ejusdemque generis ambo credunt, prius quoque *per accidens* lethali contradistinguunt: quorum tamen auctoritatem ne petulanter lacerare videar, curiosiorem Lectorem ad P. Ammanni. *Praxin Vulnerum* tantum ablego, in qua specimina hujus paradoxo plura reperiet. Sane vulnus, quod non absolute seu simpliciter lethale neutiquam mox *per accidens* tale dicendum, interim pro *per se* tali, vel quod mortis insequentis proxima vel immediata causa aliquando haberi postulat. Ac *per se* lethale modo absolute seu necessario modo non necessario, sed frequentius aut ut plurimum tantum, tale, prout monui, deprehenditur. Id est, notio *lethalitatis per se* non eousque se restringi patitur, ut de nulla Plaga ejusdem membri & conditionis, ex qua unum alterumve aliquando eluctatum, sed omnes interiisse, novimus, prædicari queat: quin potius ab eo, quod ut plurimum contingit & contingere experimur, cæteris paribus, argumentari conveniat. Proin, si dicendum, quod res est, quoniam justitiæ imprimis administrandæ ac homicidii puniendi causa Judex a Medicis sententiam super lethalitate rogat, Legislatores vero in delicti hujus poena discernenda, inter Vulnus necessario & ut plurimum mortale, differentia vix rationem habent,

sed ordinaria pariter affici jubent illum, qui vulnere simpliciter seu ex necessitate lethali, ac qui ut plurimum tantum lethali, occiderat, (Quatenus utrumque horum vulnere causa mortis insequentis proxima seu immediata existit, ipseque Hippocrates ex illis, quæ *6. aphor. 18. Διατατώδεα* seu lethalia pronunciat, vesicæ sc. cerebri, cordis septi transversi &c. vulneribus *3. Coac. 387. μάλισα αποθνήσκουεν*, i. e. fere & ut plurimum mori percussos, asserit.) Consultius forsitan foret in Renunciationibus Anatomico-Chirurgicis distinctione hac, utpote per quam iniquis & minus conscientiosus homicidarum defensoribus disceptandi argumentum atque occasio suggeritur, & Judex, non adeo perspicax, in sententiam injustam trahitur, supersedere, ac solummodo, an vulnus per se, an per accidens, mortale, disquirere atque enunciare.

Vulnera ut plurimum lethalia etiam robera lethalia dicenda sunt.

Neque enim unum alterumve, rarissime contingentium, exemplum quo hunc aut illum, ex tali vel tali vulnere, aliquando convaluisse observamus, aut ab aliis observatum legimus, sufficit, quo minus, quæ sæpissime, seu ut plurimum mortales deprehenduntur, plagas in his, qui hinc moriuntur, per se tates appellemus: quatenus profecto res difficilima est, de binis duorum subjectorum, quorum unum evasit, alterum occubuit, vulneribus asserere, ambo hæc sibi omnimode & per cunctas circumstantias similia, seu specie eadem, extitisse, & per consequens ejusdem eventus eadem pronunciare; ac causas diversas concipere licet, harumque forsitan plures adhuc latent, cur ex illorum, plerumque desperatissimis, pauci nonnulli evadant. Mirabile & incredibile est, quod Galenus *8. de usu part. cap. 10.* & in *Hipp. 6. aphor. 18.* testatur, spectaculum, Smyrnensem Adolescentem, vulnere in alterum anteriorum cerebri ventriculorum majusculo accepto, sola voluntate DEI, ut plerisque videbatur, sanatum fuisse: cui simile, quod Theodoricus Chirurg. *lib. 2. cap. 2.* refert, se Cellarium vidisse, cui ventriculus cerebri posterior vulnere destructus fuerit, qui nihilominus restitutus prodierit. Quod Phænomenon quamvis jure in dubium vocet Guido de Cauliaco l. a vulnera nihilominus cerebri enormissima, cum ejusdem substantiæ perditione, sanata perhibet idem, & cum hoc Brassavola in Hippocr. *6. aphor. 18.* Fallopius de *Curat. Vuln. cap. 45.* Berengarius de *fract. Cran. 13.* Arcæus de *Curand. Vuln. cap. 6.* Coiter *Obs. anat. Chir. p. III. § 112.* Pareus *lib. 9. cap. 9.* Hildanus *cent. 1. obs. 13.* Horstius *lib. 2. obs. 5. § 6.* Rhodius *cent. 1. obs. 31. § 32.* Glandorpius *Spec. Chirur. obs. 5.* Marchetti *obs. med. chir. 1. 2. § 3.* Jones. *Anglus*, in peculiari tractatu, *Wounds of the Brain proved curable*, ac præter hos Symphorianus Campejus, Musa, H. Augenius, A. a. Cruce aliique infiniti. Pulmonum vulnera, quæ parum spei alebant, consolidata nihilominus fuisse ex *Placero obs. p. 735. § 736.* Hildano

Pulmonum.

*Cent. 2. obs. 32. cent. 3. obs. 36. & epist. 51. ac 52. Horstio lib. 3. obs. 13. Foresto obs. chir. lib. 6. obs. 4. Valeriola lib. 4. obs. 10. Glandorpio l. 2. obs. 24. Rhodio cent. 2. obs. 5. Lamsverde append. ad Scult. obs. 43. Pechlini Celeberrimi Historia Vuln. thorac. item ex Massa, Fallopio, Schenckio &c. patet: egoque ante biennium in Nobili, sub papilla sinistra ita transfosso, ut ensis per dorsi superiorem partem, prope scapulæ os, prodierit, testor. Cordis vulnerum non necessario lethaliū forsā pauciora existunt exempla, inter quæ nihilominus memoratu dignum est, quod *Glandorpius obs. 33.* refert, Patavii *Sanctorium* in maxima Studiosorum corona & cum summo hujus stupore cor cuniculi instrumento acuto perforasse, vivo nihilominus per multos menses animalculo.*

Cordis.

Porro ex Plagis compagis Tracheæ cartilagineæ quasdam arte vel casufelici^{Trachea.} ter consolidatas perhibent Petr. von der *Stille Pareus, Pigraus, Bartholinus ac Tulpius*, quibus observationem addo, cujus ante decennium, aut quod excurrit, ad me ab Amico transcriptæ recordor. Ubi quidam, propter delictum in carcerem conjectus, Novacula penes se recondita, summitatem hujus canalis, proxime sub cartilagine annulari, transversim præciderat, ad hæmorrhagiam usque insigniorem, Lypothymiam, Aphoniam, Stertorem ac paucorum tantum verborum emussitationem. Balneator imperitus, labia Tracheæ vulnerati haud adducens plagæ tantum integumentorum externorum curam gerebat: consolidescere vulnus totum brevi, sine graviorebus symptomatis, excepta tussi sensim pariter mitescente. Quis autem propter hanc similemque fortuitam medelam Vulnera hujus generis Lethalibus, i.e. ut plurimum talibus, non accenseret? Ex quibus tamen cunctis, ut alia membra nobiliora taceam, quæ fauciatâ præter expectationem coaluisse & sanata legimus, minime evincetur, si inter mille v. g. unus ex gravissimo vulnere evadat, unius seu solitarii hujus salutaris eventus, utpote, juxta *Averrhoem* Monstri naturam præ se ferentis, præ tot male succedentibus ac funestis casibus, majorem rationem habendam esse.

Neminem adeo præcipitis ingenii concipere possum, qui leviora partium externarum vulnera, quæ sæpe sponte aut sine ullo Chirurgico auxilio consolidantur, ideo pro lethalibus per se pronunciet, quod aliquando mortem inexpectatam & quasi præter omnem rationem intulerint; sed ejusmodi plagæ, non obstante uno vel altero casu tragico, qui fortuito contigerat, minus aut per accidens tantum lethalibus a quibusvis Prudentioribus accensentur. V. G. si quis ex infausta Odontagia pereat, quod rarioris equidem observationis est, aliquando nihilominus fieri solet.

Odontagia funesta.

Maji tempore Nundinarum, in Foro nostro, Circumforaneus quidam Iuveni robusto dentem ex maxillaribus extrahebat: qui intra, paucas horas, propter supervenientem hinc enormiorem hæmorrhagiam satis, cedebat: sine dubio, quod vel Operator, vel ægrotus, in illa cohibenda negligentior fuerit. Cujus generis Exemplum pariter e *Facultatis nostræ Actis* Anni 1701. Mense Junii mihi producere licebit, funesto nimirum eventu susceptæ hujus Chirurgiæ in foemina: quæ tamen propter effractionem potius Maxillæ simul factam, non fluorem sanguinis, obierat. Cur non Vulnus ejusmodi lethale pronunciamus, quo plures pereunt, unus tantum vel alter præter spem atque opinionem servatur? Deinde nec adeo evidens est, aut fieri unquam potest, an vulnus sanatum cum non sanato, quoad singula exacte simile, seu specie & omnimode idem fuerit, quin mens sagacior semper anceps relinquatur, an illud, quod accurate lustrare haud licebat, ratione latitudinis, profunditatis, vasorum fibrarumque lacerationis idem cum hoc, cujus conditiones in cadavere per autopsiam quam accuratissime dignoscimus, quas in illo ex signis tantum, interdum satis fallacibus, auguramur, rarius penetramus.

*Dubium, an
vulnus sanatum
cum exacte
idem cum non
sanato fuerit?*

*Ex vulnere
convalescentis
argumentari
haud licet ad
defuncti vul-
nus.*

E. de conditione Vulneris in reconvalescente nihil certi constat, adeoque nec de identitate seu conformitate hujus cum illo, quod in Dissectione Cadaveris cernitur, judicium exactum formari valet. Nec sequitur, Vulnus pectoris, cujus partes læsas ignoramus, aut leviter tantum auguramur, in Lentulo feliciter fuit sanatum, forsitan quod levioris momenti extiterit; itaque nec insanabile seu non lethale erit in Fabio, cujus venam Azygos, pulmonalem, &c. transfossam autopsia manifestavit: quod saniori rationi & quotidiana repugnat experientiæ. Per consequens frivole, ad minimum inepte, agunt, qui, super Lethalitem individualement sententiam dum postulatur, terminis generalioribus se explicant, aut mox ab uno alterove Exemplo ad Subjectum quæstionis concludunt. Ita v. g. ubi disquiritur, an Titio inflicta Capitis fractura, ex qua secundo vel tertio die hic decessit, sit lethalis? Fracturas Calvariæ non omnes, nec omnibus mortem intulisse prolixo sermone perhibent, hincque nec Titii percussionem mortiferam, perperam ac posthabita circumstantiarum conformitate aut disparitate inferunt; seu quod vulnus pluribus quidem lethale, uni tamen vel alteri tantum salutare extitit, præfenti Individuo seu Titio minus quoque mortiferum appellandum fore, tædiose concludunt.

Pariter Ventriculi fundi vulnus exile, tantum tamen, per quod alimenta cruda aut semicocta, aliquot dies, cum singultu molestissimo, conatu vomendi

di acLipothymiis prædeunt, in Titio intra mensem solidatur: intra triduum vero simili vulnere, quoad circumstantias sensibiles cunctas, si singultum excipias, moritur Cajus, adeoq; tali, quod propter spasmodici hujus symptomatis absentiam, si non majoris, certe parisi, expectationis videbatur. An Cajum E. ideo non per se mortifero vulnere occubuisse, dicamus, quod Titius superstes manserit, eadem ratione, imo intuitu singultus, gravius forsân vulneratus? minime, manifestante sc. sectione cadaveris, lateralem magis, quam anticam, fundi stomachi partem in hoc perfossam, simulque arteriam gastricam sinistram discissam. Quarum circumstantiarum prioris ratione plus contentorum ventriculi ad abdominis cavitatem, quam extra hanc, posterioris plus sanguinis ad idem abdomen fuisse rejectum, (de quibus phænomenis ante inspectionem haud constabat) apprehenditur: eas nihilominus Caji vulnere defuisse non immerito eousque ambigimus, donec, id est, nunquam, contrarium probetur. Item Sempronius contusionem capitis patitur insignem, cum depressione cranii enormiore, hæmorrhagia impetuosa satis, per vulnus æque ac aurem dextram apparente, sensuumque ac motus sublacione: post cranii elevationem tertio die factam, redit successive ad functiones pristinas anima sensitiva, compefcitur fluxus sanguinis & post quinque septimanas sanus egreditur vulneratus. Claudius cum simili calvaria depressione & sub iisdem symptomatis, restituto pariter tempefcive satis osse, quod subfederat, & hæmorrhagia cessante, septimo die cum stertore expirat: in cujus cadaveris ventriculis Cerebrimultum sanguinis extravasati & putrilaginosi, a ramulo plexus choroidis rupto, cernitur. Proba tu, eandem fuisse faciem internam contusionis Sempronio illatæ: aut si non, mihi dubitare liceat, illam talem fuisse.

Præterea quid obstat, quin certa ac individualis conformatio, plus minus frequens, occasione existat, quo minus vulnus pluribus aliis mortiferum, alicui individuo salutare contingat? dum v. g. ex vulnere pulmonum in se satis gravi, ac ut plurimum lethali, cujus pleuræ illi adnati, convalescit aliquis: quatenus in ejusmodi subjecto sanguis ex visceris vulnerati vasis proflus im-

*Interdum per
individualem
conformatio-
nem vulnus
lethale evadit
salutare.*

mediate magis per vulnus intercostale emanat, alias ad pectus deciduus, ac vel mole, vel putredine, organis vitalibus molestus ac exitiosus; & vulnus pulmonis, sibi in aliis subjectis relictæ & liberioris, non adeo prompte coiens, musculorum intercostalium vulnere in hoc Individuo continuum, per cicatricem cum hoc communem facilius conglutinatur. Denique nonne præter causas ejusmodi salutarium in vulneribus mortiferis eventuum, ab Hippo-

crate recensitas, corporis nempe singularem puritatem & crasin laudabilem, virium robur præcellens, plusquam fidam atque diligentem Chirurgi curationem, optimamque vulnerati diætam, casus ejusmodi nobis aliquando concipiamus, quos imitari arti vix concessum, qui dabiles nihilominus existunt? *Item per casus fortuitos.* Nonne v. g. fieri potest, ut particula quædam omenti aut pinguedinis intestini, ventriculi aut vasis cujusdam vulnere, alias lethali futuro, se fortuito insinuet, illique incuneata agglutinetur? pari forsan modo, ac in cadavere cujusdam Aurifabri, Anno 1672. die 13. Maji disseci, hujus venæ Iliacæ internæ dextræ, prope insertionem hypogastricæ, vulnere particulam pinguedinis immerfam mihi videre licuit, quod operculum sine dubio terminum vitæ, hujus generis vulneribus breviorum, ad decimum tertium diem, quo vulneratus demum moriebatur, distulerat. Hujus etiam generis fatum *Nobilis Rosencranzii* fuit, cujus ex literis *Bartholini* mentionem faciunt *Ephemerides Germ. Naturæ Curios. Ann. 2. obs. 161.* qui in crure sinistro vulneratus post enormissimam hæmorrhagiam aliquantum sedatam ad decimum quartum usq; diem supervixerat: ideo ut sectio cadaveris manifestavit, quod arteriæ cruralis apertura infelix grumoso sanguine obturata fuerat, quæ universi sanguinis effluxum eousq; inhibuerit, & mortem plerumque alias repentinam longius protraxerit. Similiter quid impedit, quo minus vulnus cavitatis aut visceris cujusdam interni, integumentis musculosis propinquius & magis contiguum cum horum plagæ labiis feliciter cicatricetur? cum a brutorum vivorum sectionibus, v. g. pro extractione lienis, ligaturis vasorum biliariorum, exploratione succi pancreatici similibusque experimentis Anatomico-Physiologicis adornatis, viscera hæc vel illa peritoneo agglutinari, quotidie experiamur, si denuo post paucos pluresve dies aperiatur animal.

Cur quadam ventriculi venter non lethalia? Qualem coalitum fortuitum potissimum etiam suspicor causam, cur ventriculi fundi vulnera, frequentius equidem mortalia, aliquando nihilominus salutaria existant atque extiterint, si sc. partem hujus magis anticam & peritoneo musculisque contiguam, non lateralem, & a contiguitate ejusmodi alienam, afficiant, Imo forsan eadem ætiologia incisionis ventriculi, manu Chirurgi, pro extrahendo cultro, a Prusso ac Bohemo devorato, factæ, salutaris: potissimum cum vel magnetis, exterius admoti, vi, vel cultri ad exteriora vergentis, tendentia, ventriculi ambitus Epigastrii integumentis propius adductus, cum his promptius coire valuerit. Vulnera vesicæ urinariæ fundo insissa olim necessario lethalia pronuntiabant cuncti hæc rerum Judices: postquam vero ex *Platero obs. p. 850. Kentmanno de Calcul. cap. 11. Wurzio Chirur. part. 2. cap. 13. Cattierio, obs. Borollo communicata-*

rum 4. S. Pauli. Flor. Danic. part. 2. c. 83. & Cornelio Stalpart. van. der Wiel cent. 1. obs. rar. 81. medii quoque ipsius corporis seu fundi vulnera sanata fuisse, innotuit, temperandum non nihil erit de his rigidius illud iudicium, illaque non adeo absolute lethalia dici debent. Cujus equidem aliquando salutaris eventus causam non tantum conijcere licet in carnosam seu musculosam fundi ejusdem tunicam, non obstante, quod antecessores nostri eundem membranofum plane dixerint, sed potissimum in contiguitatem seu connexionem illam, quæ illius parti anticæ cum peritoneo ac musculis abdominis relictis atque pyramidalibus, si adfuerint, in homine intercedit, quibus coalescentibus simul callus inducitur vesicæ discissæ. Pulmonum vulnere, alias exiti- Cur aliquan- do pulmonum vulnus minus lethale? tiali, eadem fortuna accidere posset, ut nimirum vulnerata horum portio spatia intercostali se insinuans vulneratum incolumem dimittat, musculis hujus per cicatricem communem agglutinata: cui meæ suspitioni favet, quod *Tulpius lib. 2. obs. 17.* de quodam refert, cui per vulnus thoracis erumpens ac propter putredinem supervenientem præcisa pulmonis fibra cum oris vulneris externi brevi firmiter coaluerat, ut sectio ejusdem subjecti, sexennium abhinc administrata, manifestavit. Imo quemadmodum ejusmodi salutaris vulnerum lethalium eventus plerumque naturæ solius opera videntur: ita aliquando vicinitas organorum internorum læsorum cum integumentis communibus, facit, ut per futuram utrisque pariter communem vulnera illorum constringi & firmari queant, quod alias & per levem circumstantiarum mutationem fieri haud poterat. Comprobat hoc augurium post *Iacobum Ortheum* modo allegatus *Corn. Stalpart van der Wiel cent. 1. obs. 39.* ubi vulnus ventriculi fundi cum vulnere musculorum acu & filo salutariter consutum perhibet. Christianus & prudens igitur Medicus ac Chirurgus, præeunte *Galeno*, locis superius, de vulneribus capitis præter opinionem salutaribus, adductis; *Pareo lib. 9. c. 9.* ac *Brunone Seidelio de morbis incurabilibus pag. 19.* potius & primario vitæ Autoris atque Conservatoris primi, seu DEI, beneplacito, benedictioni atque auxilio immediato quam artis potentia seu beneficio insperatorum ejusmodi successuum, horumque causarum, nobis fortuitarum visarum, directionem adscribit, ac in acceptis refert: adeoque vulnera quoque illa, quæ maximam partem seu ut plurimum Medicinæ vires & opem humanam superant, mortemque sibi terminum habent, per se lethalia proclamant, utpote non per medelam, quam Ars tradit, sed per propitium tantum Fatum seu per *εὐτυχίαν* sanabilia, cujus agendi methodum cognoscere vel imitari nescit Medicus, ut ut sagacissimus. Per inductiones demum si non com-

pletas & absolutas, certe aliquales, hic sua format Theoremata atque Conclusiones, nunquam a singularibus paucis ad universalia, nedum singularia, argumentatur Medicus prudens.

*Aliquando
Vulnera ra-
tione partis
affectæ non
lethalia, letha-
lia evadunt.*

Contra aliquando observamus Casus, ubi Vulnera natura sua & intuitu partis affectæ vix lethalia per se dici poterant, nihilominus per certas circumstantias talia evadunt. Sit scil. Vulnus Arteriæ Brachialis aut Venæ Basilicæ, alias vix adeo difficulter sanabile, moritur nihilominus ex hæmorrhagia hujus extraordinaria præcipiti intra quadrantis horæ spatium, antequam Chirurgus, qui deligationem necessariam præstet, quamvis mox vocatus, adesse possit, percussus. Circa qualem Casum ita me gererem, Vulnus equidem ratione Vasorum læsorum, per quam hæc commode constringi seu constipari poterant, hinc suæ conditionis intrinsecæ, lethale per se vix censerem; intuitu nihilominus adynamici extrinsecæ seu circumstantiæ, quod, propter Chirurghi & medelæ indeclinabilem defectum, non licuerit tempestive sanguinis effluxum enormiorem sistere, illud per se lethale dicere haud vererer, per Artem, ob fatale exiguum nimis, minus sanabile.

*Causa vulne-
rum lethaliū
per se.*

Supposita & asserta hoc modo Vulneris seu Læsionis per se ac per accidens lethalis formalitate dispari, disquirendum erit de prioris ætiologia: id est, cum superius dictum fuerit, illam immediate, seu, ut talem, mortem inferre, investigare decet, quando & sub quarum functionum frustratione tale quid præstet? Quod dum annitor, ex Physiologicis repeto, Motum fluidorum universalium & solidas partes vitalitate immediate actuantium, sanguinis sc. & lymphæ, esse duplicem, intestinum & localem: per consequens quæcunque Percussiones, Vulnera &c. aut alterutrum, aut utrumque, horum eousque turbant, ut vita totius extinguatur, mortifera per se erunt appellanda. Quæ violentiæ externæ motui fluidorum vitalium obicem ponunt, hoc aut immediate magis & subitaneo impetu præstant, sc. cunctæ illæ, quæ organa respiratoria horumque functionem enormiter lædunt, v. g. vulnera & percussiones diaphragmatis, pulmonumque ac asperæ arteriæ obturationes, constrictiones ac læsiones quævis inemendabiles; aut mediate demum ac lente magis perimunt, sc. vulnera organorum, Chyli productioni, exaltationi ac dispensationi ministrantium, ventriculi nempe, intestinorum, vasorum lacteorum, folliculi fellis &c. Pariter quæ vulnera motum fluidorum localem interpellant, iterum duplicis generis sunt, quatenus vel cor cum canali sanguinis & lymphæ, i. e. cum vasis & visceribus ipsis appensis, sc. epate pulmonibus, liene, renibus, utero &c, tanquam antliam primariam ac cana-

les adæquatos, immediate lacerant, quæ omnium brevissime ac certissime enecant: vel cerebro atque nervoso generi, utpote vim moventem omnibus membris suggerentibus, illata, hinc cordi quoque potentiam motivam subtrehentia, pulsum intercipiunt ac tollunt. Denique utrumque motum simul lædit quorumvis totius corporis organorum continuitas soluta, cujus occasione fluida tam nutritia, quam excrementitia, sc. chylus, sanguis, fæces alvi, urina &c. extra receptacula & canales suos in hanc vel illam cavitatem, sibi incongruam, elabuntur, ibique congesta aut mole, aut putredine, Exagitatio- ni sanguinis vitali, ejusve Circulationi moras nectunt, sc. in capite, thorace atque abdomine.

Per consequens Non Lethale, seu aliquando per accidens tantum tale, *Quod vulnus non lethale?* dicendum erit vulnus, quod neutrum horum sanguinis motuum vel functiones ei litantes ad interitum usque vulnerati turbat: aut si ex in mori contingat hunc, aliis intermediis de causis hoc fiat, negligentia v. g. Chirurgis, temulentia illius, Veneris usu intemptivo &c.

CAPVT III.

DE

DEPONENDI RATIONE

SEV MODO.

QValia vulnera eisque cognatas violentias ut pressius dignoscamus, perpendendæ erunt horum circumstantiæ atque adjuncta, & quidem tam intrinseca, quam extrinseca. Intrinseca voco, quæ ipsam plagam affectam spectant, huicque inhaerent, sc. (1) hujus texturam, situm & actionem, (2) vulneris magnitudinem, (3) ejusdem qualitatem ac (4) figuram: Extrinseca, quæ extra percussione[m] hujusve subjectum immediatum sunt; & quidem iterum vel necessaria, vel contingentia. Necessaria denuo distinguere conveniet in res naturales, quæ sunt textura seu dispositio corporis nativa & ætas: præternaturales, nempe morbi antecedanei ac combinati: & non naturales, sc. loci atmosphæram. Contingentia vero observantur Symptomata, ægri diætæ & Chirurgi seu Medici peritia ac solertia diversa. Pro quarum circumstantiarum habitudine varia modo lethale, modo non & per accidens lethale, pronuntiandum erit vulnus.

*Diaphragm.
tendineæ por-
tionis vulnera
lethalia sunt.*

In parte læsa primo ponderanda est texturæ, & quidem non tam organica, quam similis communiter dictæ, seu substantiæ, disparitas, ratione cujus membranosarum ac tendinosarum partium vulnera, quia difficulter coalescunt, mox vehementius inflammantur ac convulsiones concitant, plus semper periculi involvunt, hinc, cæteris paribus, præ carnositatum continentate soluta lethalia magis dicuntur, v. g. tendinosæ diaphragmatis parti inflicta, quæ carnosæ plagis insanabilia magis observantur. Quando enim *Sennertus præx. lib. 2. part. 2. cap. 15. & lib. 5. part. 4. cap. 3.* circulo hoc nerveo aliquando perfosso sanatum nihilominus ac restitutum fuisse vulneratum, asserit, ex prava & Scholis a superiorum temporum Professoribus obtrusa hypothesi agere videtur, centrum diaphragmatis, per quod Oesophagus fertur, tendineum docentibus: cum nihilominus carneum hoc esse, id est superiorem musculi sui inferioris partem involvere, nec tyrones nostros nunc lateat. Quem quidem locum illum innuere inde opinor, quod ventriculum simul per idem vulnus ad thoracem raptum ac translocatum perhibeat, qui huic parti ratione Oesophagi vicinior existit. Præterea non per se coaluisse hoc vulnus, sive carnez, sive tendineæ, septi transversi portioni illatum, id evincit, quod intestini pars cum ventriculo transiens hoc obturavit, simulque, quo minus diaphragma ratione hujus foraminis respirationem turbarit, impediverit. Manent E. ac manebunt diaphragmatis tendineæ substantiæ vulnera, nisi forsan exilissima, consolidabilia, hinc ratione inflammationis metuendæ ac actionis respiratoriæ turbatæ lethalia.

*Item Ventri-
culi, Intesti-
norum & Vesicæ.*

Propter eandem texturam nerveam seu membraneam plagæ Ventriculi, Intestinorum ac Vesicæ urinariæ pariter vix unquam coalescunt, hincque periculosissimæ & ut plurimum lethales existunt: dum vel ratione inflammationis ac sphaceli, vel dolorum ac spasmorum supervenientium, vel contentorum ad abdominis cavum depositorum, mortem inferunt. Non cunctæ equidem organorum horum tunicæ membranæ sunt, sed instruuntur insimul involuero carneo seu musculofo, ratione cujus eorum coalescendi difficultas forsan aliquantum temperatur: quia nihilominus hoc quicquid musculosi exile ac tenue satis, & vela contentis, vel a motu illorum peristaltico nunquam non tenduntur atque exagitantur hæc receptacula, parum spei de eorum coalitu superest, prout Sect. 2. constabit.

*A situ partium
vulneratarum
aliquando le-
thalitas.*

Deinde partis affectæ intuitu consolidationem vulneris difficiliorem & interdum impossibilem reddit illius situs, ratione cujus labia sibi adducere aut nulla arte illud obturare minime licet. Hinc vix adeo paradoxum videri poterit,

rit, vulneratum intestinum extra abdominis plagam propendens promptius consolidari, quam latitans: quatenus huic nihil remedii, synthesi faventis, applicari, multo minus idem consui, valet; quale quid nihilominus cum successu in prominente præstari, plurimi Chirurgorum testantur, ex quibus unicum allegare sufficiet *Glandorpium Specul. Chir. Obs. 33.* Ejusdem circumstantiæ intuitu fit, ut vasorum sanguiferorum satis amplorum lacerationes in externis partibus per se raro aliquid periculi portendant, parium nihilominus aut minorum quoque, profundius reconditorum, hæmorrhagiæ animam eluant: utpote quibus nec medicamina stegnotica, nec ligaturas, nec ferrum ignitum admovere possumus, vasis alias obturandis quam oportuna remedia. Recordor equidem ex Facultatis Nostræ Actis 1678 Mens. Octobr. quendam vasorum gastricorum, cum splenicis ramis communicantium, & vasorum brevium vulnera aliquando ideo per accidens tantum lethalia pronunciassè, quod ipsum Lienis viscus, cui majora obtigerint vasa, sine vitæ periculo canibus excindi queat & frequentius extrahatur. Cui tamen phœnomeno, aut inde potius formatæ consequentiæ, declinandæ ex Responso ad hunc casum inserviet, non vasorum amputationem, ut talem, sed ex hac necessario contingentem hæmorrhagiæ, nulla arte compescibilem, mortis in ejusmodi casibus causam existere: proin quod extirpatio lienis sine vitæ dispendio administretur, causa est hæmorrhagiæ, per ligaturam vasorum præparatoriam congruam inhibita, qualem casu vulnerans haud præmeditatus, Chirurgus vero denegatur eadem.

Refero huc lacerationes Vasorum Intercostalium, Mediastini & Mammariorum, Sterni superficiiei arctius annexorum, quæ una cum Venæ Azygos vulneribus ideo imprimis Lethalitatè patrant, quod sub Costis, Sterno ac in profundo Thoracis recondita Chirurgiam necessariam renuant, hinc Sanguinem ad cavum hujus copiosius profundendo Pulsui ac Respirationi vitali moras lethales nectant. Equidem huic Cruoris Collectioni gravitivæ remedio traditur vulnera Thoracis tempestiva dilatatio, per quam ille educatur: rarissime tamen effectum speratum & salutarem præstat hæc Chirurgia, dum quidem fatale fati ad aliquot dies retardat, minime tamen hoc omnimode declinat. Id est, Cruoris quidem extravasati aliquid educit, Vulnera tamen Vasorum, quæ ejusdem quotidie plus profundunt, haud obturat, vel obturare concedit, donec tandem cum sanguine ipsa vitalitas deficiat. Exempla infaustæ ejusmodi læsionis frequentiora obtingunt, inter quæ spectatioris momenti forsan erit, quod *Gallus ille anonymus l'art. de faire les rapports*

Vasorum thoracis minorum lethality unde?

rapports quem in Præfatione hujus Opusculi nominavi, p. 139. & 140. recenset. Vulnerabatur nempe quidam in Thoracis latere sinistro inter quartam & quintam Costarum spuriarum, cui ut, mederetur, & cruorem, quem ad cavum Thoracis depositum ex symptomatis ominabatur, Chirurgus, commode subtraheret, plagam dilatabat: expirabat nihilominus sub febre cum horripilationibus irregularibus, summa spirandi difficultate, tussi enormiore & alvo laxiore percussus. In cujus cadavere aperto Arteria intercostalis spatii indigitati cum Vena Azygos læsa & Thoracis cavum multo sanguine scatens offendebatur: adeoque vulnus istud sola & unica mortis causa in hoc Subiecto asseriebatur.

Cui subnecto, quod ante quadriennium Anno sc. 1706, 26. Maji. mihi observare contingebat in juvene, qui in postica ac sinistra thoracis parte, prope Spinam, intra octavam & nonam Costam vulnere exili & inter Cutem atq; Musculos obliquo, penetrante vero, trajectus, nihil tamen Aeris, quod vulneribus ejusmodi alias solenne, toto decubitus tempore, per hoc, parum admodum sanguinis, emittebat, quinimo in Pleura cadaveris dissecti apertura vix ulla, nisi prolixiore lustratione demum, reperiri valebat, cavum interim Thoracis sinistrum multo sanguine ichoroso, cum intermixta sanie scatebat, ac ramus intercostalis arteriosus spatii indigitati maximam partem discissus cernebatur: ex cujus vulnere sine dubio tantum Cruoris & ex Vase Lymphatico socio Lymphæ profluxerat. Pleura inflammata, Pulmo insigniter corrugatus, Pericardium Cordi hinc inde agglutinatum, & inter hujus Auriculam dextram dictumque Involucrum apostema notabile, pure cocto turgidum, Diaphragmatis vero superficies, qua Thoracem spectat, inflammata ac evidenter incrassata, nullibi illud perfossum, deprehendebantur: cum nihilominus Abdomen apertum notabilem seri quantitatem pure interfluam, monstraret: in primis multum ejus intra Diaphragma, Ventriculum, Ep ar, Lienem & intestinorum hinc inde inflammatorum, plerasque convolutiones, ac in Pelvi Renis sinistri & Hypogastrii cenebatur. Quale Vulnus vel ideo in se Lethale pronunciabam, quod ratione suæ angustię & tortuositatis sanguinis & seri extravasati educationem haud concesserit, nec illud ad cavum thoracis, cum nihil aeris transmitteret, penetrare, nec Vasa læsa, augurari licuerit. Præsertim dum dyspnœa post tertium diem aliquandiu cessebat, nec æger interrogatus aliquid fluctuationis in Pectore sentiebat innuebatve. Purulentam vero materiam minime ex Thorace vulnerato ad Abdomen defluxisse, sed ex totidem hujus apostematibus, propter Circulationem impeditam & Inflammationes hinc inde enatas

enatas, promanasse, hæcque lethali-
tatem juvasse, rebar in percusso, qui
decimo quinto die animam exhalabat.

De cætero attendi meretur, vasorum internorum (Thoracis v. g. & Abdominis) laceratorum non illa tantum, quæ conspicua magis & per nomenclaturas determinatas famosiora, v. g. venam Azygos, vasa Mammaria, Arteriam Epaticam, Vasa Brevia &c. sed exiliora quoque & tantum non anonyms eorum furculos, si lacerati conspicuam magis quantitatem cruoris profuderint, Lethalitatæ autores existere: sub hac tamen conditione, ut multum mox ejus & confertim eructent; nam qui lento magis demum motu ab his stillat, dubium relinquit Medicum, de Lethalitate qui judicare debet, dum tantillum ejus, quod pedetentim promanat, a Natura facile discuti aut quocumque modo subigi posse videtur. Hinc in Casu ejusmodi decernendo advertendum, num Vulneratus brevi a percussione decesserit, aut graviora mox perpeffus fuerit Symptomata: sicque aut majora, aut minorum plura, vasa sanguine manarint; quales circumstantiæ si deficiunt, Lethalitatem dubiam relinquunt.

Neque tantum cavitatum ac viscerum arteriæ atque venæ laceratæ ob situm incommoditatem medelam detrectant, hinc mortales hæmorrhagias movent, sed externarum quoque partium vasa frequentius eundem effectum experiuntur: unde miror, cur *Suevus de Inspect. Vuln. part. 2. c. 5.* vulnera venarum jugularium majora ac profunda, quæ nihilominus *Hippocrates 2. prædict. 9. τρώματα θανατώδεςερα* & *Celsus lib. 2. cap. 26.* illum servari non posse, ait, cui circa fauces venæ vel arteriæ grandes sunt præcise, per accidens tantum mortalia fieri, sibi persuadeat? Contrarii ipsum monere poterant *Forestus ac Hildanus*, quos ipsemet in eodem capite allegat, quorum ille *lib. 6. obs. chir. 4. in Schol.* inquit: *Jugulares venæ (quas & organicas vocant) grandi vulnere percussæ, ægre & raro curationem recipiunt, tum quod larga profusione sanguinis hominem vitali spiritu exhauriunt, tum quod ligaturam propter imminens suffocationis periculum sustinere non possunt. Hic vero cent. 4. obs. 2.* exemplo satis tragico *Hippocratis ac Celsi* judicium firmat. Pariter ejusdem situs incongrui ratione artuum quædam vasa majora fauciatæ exigua, aut nullam, salutis spem concedunt, v. g. rami axillares & crurales, tam arteriosi, quam venosi, sc. sub alias & prope inguina lacerata seu discissa: ita quidem ut ejusmodi vulnerati ut plurimum brevi, & antequam Chirurgus advocetur, cum sanguine animam deponant.

Vasorum axillarum lacerationis eventum funestum maxime ipsemet testor, requisitus Anno 1678. de 12. Januarii a Nobilissima Vidua Widemaniana

ad pagum Drachenau, pro administranda inspectione cujusdam Studiosi, quem securis, alæ dextræ injecta, intra dimidium horulæ sub hæmorrhagia enormissima e vivis sustulerat: cujus vena axillaris per transversum & omnimode discissa, hincque ejus summitas ad spatium usque subclavium pectoris retracta, cernebatur. Cruralium vero seu Iliacorum externorum ranorum vulnerum lethalitatem comprobabit Casus, Anno 1670. Facultatis Nostræ

Observationes sententiæ expositus. Nimirum femur dextrum, mox sub inguine, ad abdominis usque cavitatem (in qua tamen nihil læsum reperiebatur) ensis angusto fatis vulnere penetraverat, & glandulam inguinalem cum ramo Iliaco externo, arterioso æque ac venoso, dissecuerat, ut miser intra quadrantis horulæ spatium animam exhalaverit: quale quidem vulnus a Collegio per se & absolute lethale, ideo quod ratione loci atque angustia auxilia cuncta respucrit, pronunciabatur. Simile huic erat Vulnus Femoris, Anno 1682. d. 24. Maji & 25. Novembr. a Collegio Nostro ventilatum, quo prope Inguen, cultro latiore per Musculum Lividum illato, Arteria Muscula interna, circa sui

Vulnera basorum cruralium modo lethalia. ex Crurali exortum cum ipsius trunci parte, undè hæc exurgebat, lacerata: cui enormior superveniens hæmorrhagia ideo mortifera contingebat, quod illud Abdomini propinquius remedia necessaria haud admiserit. Anno 1685. d. 2. Julii Plaga globulis Sclopeti minoribus, Vogel-Schrot / Arteriæ & Venæ Crurali simul inflictæ, ex qua fauciatu intra pauca momenta interierat, a Nobis pariter per se lethalis pronunciabatur, ob situm imprimis Vasorum læsorum profundiolem, qui medelam necessariam interpellabat: Porro Anno. 1679. d. 15. Februarii Arteria & Vena Cruralis non procul ab Inguine rescissæ, propter sui situm profundiolem lethaliter læsæ dicebantur. Quale judicium eadem Facultas de Plaga Venæ Cruralis, inguini viciniore, & ex qua intra horulæ quadrantem Spiritum cum Sanguine profundebat percussus, Anno 1695. d. 12. Junii ferebat. Cujus generis etiam erat Responsum Ejusdem ad Senatum Colbergensem Anno 1706. d. 25. Januarii de vulnere Arteriæ Cruralis prope Coxam, sc. ob eandem rationem hincque impetuosius Cruoris profluvium illud per se lethale edifferebat eadem. Tandem An. 1707. d. 20. Febr. Nostram rogabat sententiam quidam Archthes Dicæophilus Iennensis super similem Arteriæ & Venæ Cruralis plagam, quæ intra horulæ dimidium percussum interfecerat, motui corporis immoderatori supervenientem sanguinis profusionem inprimis adscribens. Cui respondebatur, illam, quam immediate patraverat, hæmorrhagiam utique, & non obstante illo Corporis motu, per se existere lethalem.

Assertum hoc communiter labefactare satagunt. 1. quod aliquando Femora cum vasis per infortunium tollantur, vulnere nihilominus hæc feliciter sanentur; quale argumentum Medicus quidam 1687. d. 12 Febr. in casu, Facultatis Nostræ censuræ paulo post exposito, adducebat, ac globulis binis, Sclopeto elisis, Musculum Femoris sinistri Fascialem, Arteriam Musculam internam, Musculum Tricipitem, Venam Cruralem totam & Arteriæ ejusdem nominis medietatem lacefatas minime per se, verum per accidens tantum, lethaliter vulneratas aiebat: 2. quod Crus hunc in modum sauciatur per ἀνεπιχειρισμὸν tolli; hoc facto Vasa discissa commode satis occludi ac hæmorrhagia mortifera compesci queat. Quibus tamen rehero, primo detruncatis per infortunium femoribus cum suis vasis, hæc per εὐτυχίαν potius, quam artem, aliquando coaluisse; ideo rarius contingentibus ejusmodi observationem fore accensendam. Deinde Extirpationem Cruris longius supra genu & inguini propius, propter ingens valde Hæmorrhagiæ periculum, nunquam forsan molimur: aut si in parte genu viciniore hoc fieri debeat, non nisi apparatu pro præcipiti hæmorrhagia avertenda, necessario instructi Operationem aggredimur, sicque Chirurgia hæc aliquando feliciter succedit. Aliter longe se res habet, ubi casu & minus præmeditate Vasa cruralia majora, prope sui ex Abdomine elapsum fuerint læsa: dum vix ullo experimento constat, talia unquam fuisse consolidata, ubi sc. necessaria ejusmodi casui, qui nullam moram concedit, remedia deficiunt. Et supponunt ejusmodi Homicidarum inepti Defensores conditionem minus possibilem i.e. Wenn dem Vulnerato bald Hülffe geschehen wäre: Forsan aptius dicerent: Hülffe geschehen können &c. Proin alia videbatur conditio vulneris femoris sinistri, quod quidam Servo suo eodem anno casum infixerat, & cujus relationem pariter ac antecedaneam Iena transmissam in Faculte ventilatam memini. Principium hujus incisionis punctura superius descripta uncias quinque vel sex profundius observabatur, a quo obliq; per femur versus genu ad spithamæ longitudinem descendebat, musculos intermedios profundius cum arteriis ac venis majoribus lacerans, ac tantæ latitudinis, ut ejus Labia vix palma tegi potuerint, & ex qua læsus intra paucas horas obierat. Hanc non per se, sed per accidens tantum, lethalem judicavimus, quoniam ejusmodi in loco tantæque amplitudinis extiterat, ubi vasis tam deligandis, quam per aditringentia aut cauteria occludendis, commode satis præsto esse potuerit Chirurgus modo peritiori commissus fuisset per septem horas (tempore hyberno) sub cælo rigidiore ad deliquium usque animi vulneratus relictus.

Modo non lethalia.
Observatio.

Observatio.

Nihil interim impedit, quo minus arteriarum, profundius seu sub musculis, per brachium ac femur descendentium vulnera quoque summe periculosis annumeremus: si sc. circumstantia quædam obstet, quo minus puncturæ arteriæ locum accurate augurari ac dignoscere, multo minus adæquata remedia commode admovere, liceat; de quo me monet sequens casus. Vocabar nempe Anno 1686. d. 13. Septembris ad Iuvenem Equitem, Stirpis hujus Provinciæ generosissimæ, die tertio ejusdem mensis vulneratum. Observabam puncturam in brachii dextri interiore parte, paulo supra carpum, quæ ad cubiti flexuram sub cute ac musculis ferebatur, & quæ bis ab ipsa perforatione sanguinem cum pulsu ac impetuosius fuderat; brachium vero ad summum usque humerum totum tumidum, ex livido rubicundum, ac, circa cubitum præprimis, maxime dolens, donec post triduum, ni fallor, in flexura illius ruptura contingeret, per quam cum brachii detumescencia ac febris reliquorumque symptomatum remissione excernebantur per aliquot dies cruenta ac saniosa. Stabat etiam huc usque a primo meo accessu sanguis ad vigesimum septimum Septembris, quo & postmodum aliquoties, primo post biduum, hinc quatuordecim, ac tandem post octodecim demum, dies recrudescerebat illius fluor impetuosissimus, per vulnus pariter carpi ac flexuræ cubiti ulcus: donec post plures ejusdem profusiones nono Novembris corpus exsangue & exsuccum relinqueret anima beata. In cadaveris sectione vulnus cernebatur, a carpi summitate intra integumenta externa ascendens, & arteriæ brachialis ramum externum, statim ac truncum elabatur, penetrans illumque ad uncie dimidiæ longitudinem findens, quæ fissura callo solidiore munita existebat. De lethaliitate hujus quid censuerim, Acta Publica loquuntur: in præsentiarum innuere sufficiat difficultatem medendi huic hæmorrhagiæ deplorandæ: quæ in illo præprimis videbatur consistere, quod vulnus arteriæ sanguinem fundentis a vulnere externo adeo distaret, ut ejus situs determinari haud potuerit; amputationem vero brachii, quam nasuti quidam, haud interrogati, sero nimis commendare sustinebant, detrectavit vulneratus.

Quamvis haud abnuam, in ejusmodi similive Casu si Aneurisma evidens supervenerit, huic tempeste mederi sicque Lethalitem forte imminuentem declinari posse: præeunte *Chirurgo* illo *anonymo Gallo*, cujus bis, ni fallor, jamdum mentionem feci, *L'art de faire des rapports.* p. 181. in Casu seqv. Vir quidam in Brachii inferiore seu Carpi interiore parte puncturam passus erat, quæ inter Flexores digitorum binos ad Cubiti flexuram tendebat,

bat, ibique Arteriam Basilicæ venæ sociam perforarat, hincque Aneurisma pararat, quod ex conspicuo satis tumore & pulsatione profundiore mox innotescebat, intumescente ac dolente valde brachio inferiore cum manu & combinata febre vulneraria. Chirurgus prior incisionem Vulneris ab hujus ostio ad terminum usque intendebat: cui tamen Noster unam alteramve ejusmodi longioris incisionis regerebat difficultatem, simulque solius Aneurismatis Chirurgiam solennem commendabat atque administrabat.

Sed, quod potissimum lethalia maxime reddit vulnera, Organorum sauciatorum actio seu usus cessans est, utpote per cujus integritatem solam, non autem a situ, substantia, partium integrantium apparatu, seu conformatione, (ut communiter fabulantur) membrorum alia præ aliis nobilitantur. Id est, quæ horum plus minus ad vitam perpetuandam necessaria sunt, eorum vulnera etiam mortem inferunt, frustratis nimirum hinc illorum functionibus, cordis v. g. pulmonum, vasorum sanguifluorum majorum, cerebri, ventriculi &c. de quibus jamdum superius dictum, ac inferius dicitur, Ita quidem ut, quam a partium natura *F. Fidelis de renunc. lib. 4. f. 2. cap. 2. & Zacchias lib. 5. tit. 2. quest. 2. & 6.* Lethalitatæ præsumptionem potissimam seu primariam maxime peti ajunt, ad actionem potius hujusve necessitatem videatur restringenda. Adeoque vulnera cerebri, cordis, pulmonum, ventriculi &c. utpote quorum magna pro vita conservanda necessitas, vel necessario & absolute, vel ut plurimum, lethalia observantur, si sc. talia fuerint, quæ illorum functiones enormius turbent; quod periculum notabiliter intenditur, si pars vulnerata in perpetuo motu existens, ob quietem denegatam consolidescere nequeat, v. g. pulmones ac diaphragma.

Neque tamen partis vulneratæ tantum habitudo ac necessitas semper pro lethaliitate discernenda sufficit, quasi, juxta *Zacchiam*, hæc circumstantia sola per se, reliquæ, nempe vulneris magnitudo, qualitas &c. per accidens saltem, eandem determinent, id est, majus minusve duntaxat periculum reddant, mortemque modo accelerent, modo procrastinent: sed præter illam *Quantitas* quoque est, quæ, prout variat, sic unius ejusdemque membri in duobus subjectis vulnus lethale & non lethale facit, quatenus sc. præter longitudinem ac latitudinem profunditatem complectitur, quod ab *Hippocrate 6. aph. 18.* per vocabulum *discissa* significari *Galenus* probabiliter satis asserit. Vulnus Ventriculi e. g. intestinorum exile aliquando sanatur, majus semper pessundat: ex

superficiali Cerebri, Epatis, Pulmonum &c. plaga multi evadunt, pereunt ex profundiore tantum non omnes: pariter vulnusculum Vesicæ urinariæ exiguum aliquando sine damno singulari sustineri posse, suadet, quod adacta in vesicam canis vivi acicula tenuiore hacque denuo extracta, nihil hinc urinæ prodeat, profluat tamen ex apertura ejusdem paulo majore. Imo ubi de Medullæ spinalis vulnere deponendum *Fallopianus de Vulnerib. particul. cap. II.* ante omnia dispicere jubet, an hæc in una tantum sui parte puncta vel cæsum sauciata, an ex toto & per transversum discissa, compareat? ita quidem, ut si totus vel maximam partem laceratus existat funis hic, omnimode desperandum sit, sin alteruter tantum ejus tractus, v. g. punctum, læsus, aliquid adhuc spei restitet.

Exiliora tamen interdum magis periculosa. Experimentum.

Quamvis hanc quoque exilem reddat Experimentum, quod *Sennert. prax. l. 5. part. 4. cap. 3.* innuit, olim Lugduni Batavorum, pro enecandis sine magno strepitu canibus, exercitiis anatomicis destinatis, frequentius a nobis administratum: Sc. dum acus major simileve instrumentum subtilius inter os occipitis & vertebrarum cervicis primam, aut inter primam & secundam, ad eorum Medullam spinalem profundius dimittitur, post aliquot concussionem epilepticas illi mox attoniti concidunt, in puncto quamvis exili vulnerata hac. Cui accedit, quod quemadmodum vulnera nervorum pleraque, imprimis puncturæ exiliores, mox ipsum cerebrum in consensum trahunt, & convulsionibus universalibus totum corpus concutiunt, idem forsan metuendum sit, de medullæ spinalis caudice, non latius, modo profundius, sauciato, tanquam trunco omnium nervorum communi & cum cerebro immediate magis conspirante.

Atque observare contingit, quarundam partium vulnera, quo exiliora seu angustiora, eo periculosiora, existere, ac interdum per solam hanc circumstantiam, nisi manu chirurgi tempestive dilatentur, lethalia evadere: quatenus v. g. ex *Galeno artis medic. cap. 92.* cuilibet Chirurgorum constat, nervorum læsiones atrociora semper patrare symptomata, *cum nihil hinc expirat, obcæcato cutis vulnere.*

Pariter fissuræ calvariæ, cum ruptura vasorum subtus latentium & sanguinis extravasati congestione, aut fragmentorum secessu, nisi trepano amplientur mortis certissima existunt causa: quale quid de thoracis vulneribus angustioribus ac tortuosis, ubi de sanguine ad hujus cavitatem copiosius profuso suspicio est, cujus generis angustiam & obliquitatem dignotioni atque medelæ derogantem in Vulnere Thoracis penes Iuvenem paulo ante indigita-
tavi

tavi, itidem animadvertendum, sectione aut turundis, si læsum orci faucibus eripere velis, dilatandis. Eadem ratio est abdominis vulnerum, quorum latiora hoc equidem periculi involvunt, quod per ea intestina promptius elabantur, ac interanea ab aeris contactu magis lædantur; angustiora nihilominus ideo nonnunquam existunt, quod, si forsân contingat, per hæc quoque intestina aut omentum prorumpere, eadem per angustius foramen non statim & commode reponi queant, hinc grangrana facile corripiantur.

Præterea Vulnerum qualitas quoque lethali-^{Qualitas vul-} tatem notabiliter variat, imo ^{neris aliquan-} sola aliquando eandem con-^{do est lethali-} jicere facit. Quid notius est, quam vulnera ^{tatis causa.} par-
tium externarum contusione, hincque sclopetorum globis, illata, ratione contusionis ac lacerationis enormioris & inflammationis exquisitioris supervenientis, simplicioribus puncturis & incisionibus, utut majoribus ac profundioribus, semper graviora ac periculosiora esse? Nonne E. periculum viscerum internorum vulneratorum ad lethali-
tatem usque evehi poterit, si a glande sclopeto emissa hoc dependeat? ita quidem ut ex quibus eorum plagis, gladio similive instrumento acuto minusque conquassante inflictis, quidam sanantur, puta ventriculi, intestinorum &c. illæ, si sclopetorum effectus, ut plurimum perimant, partium sc. inflammationibus sustinendis minus adæ-
quatarum.

Speçtat huc quoq; Vulnerum venenositas, ab instrumentis lædentibus venatis impressa, quorum quaecunque & quomodocunque ab his illatum, lethale ^{Ob venenosita-} Zaccbias l. 2. quest. 2. & quest. 6. ^{tem Vulnera} Arma venenata lethali-^{aliquando} tatis præsumtio-^{sunt lethalia,} nem adeo urgentem constituere, asserit, quæ ex se ipsa sola facere possit eviden-
tissimam conjecturam, quod vulneratus ex vulnere mortuus fuerit, ceteris om-
nibus conjecturis & præsumptionibus, in contrarium facientibus ipsius quoque
partis natura, quæ omnium urgentissima est. Breviter, si non necessario, ut
plurimum tamen, maxime si majora fuerint ac interiora penetrent, hæcque
plus minus afficiant, ejusmodi vulnera cœcant, non tam unitatem partium
solvendo, quam principio vitali immediate magis vim inferendo: ut vel sym-
ptomata eorum peculiaris & reliquorum vulnerum accidentibus mox atro-
ciora longe, v. g. cordis palpitatio, totius corporis frigus ac rigor, lypothymia,
livor ac fœtor vulneris &c. innuere poterant. Latent siquidem nos ali-
osque innocentes illa venena quibus arma, sagittas globulosve intoxicare
norunt ejusmodi homines maligni: quæ aliquando tantæ activitatis & viru-
lenta

lentia observantur, quam nulla sive Pharmacia, sive Chirurgia subigere potest, adeoque nec impedire, quominus eis ejusmodi percussi pereant; quale quid cum notabili suo damno experiebantur quondam Galli penes Sienneses.

An Venena
hausta exte-
rius applicatis
semper poten-
tiora?

Communiter equidem plerisque hæc arridet traditio, quodvis venenum haustum seu intus sumptum exterius admoto exitiosum magis existere: quasi, quod assumitur, a viscerum activitate citius resolvatur & ad horum nobiliora feratur, extrinsecus vero applicatum habitum prius penetrare, vasa petere & sic per ambages demum ad partes principes abire oporteat, sub qua ipsa tamen viarum longinquitate facile contingere posse, ut ipsius veneni vires valde infringantur. Quo supposito, vulnera a telis venenatis illata minus lethalia asserunt, quod virulentia iisdem afflicta commodis remediis facile detergi queat: pari modo ac *Arcaus de reſta cur. vuln. rat. lib. 2. c. 1.* se in oppido Cumbres Baxas quendam, sagitta, helleboro tincta, in pectore graviter sauciatum, curasse, & *Foreſtus. 6. Obſ. chir. 10.* ex relatione Medici cujusdam Romani, quendam vulneribus venenato telo inflictis poma cydoniorum, dentibus contrita & saliva jejuna subacta cum multorum salute admovisse, perhibent. Quod nihilominus dogma diversas ob rationes mihi suspectum videtur, quatenus primo diversorum, imprimis *Celsi lib. 5. cap. 27.* & *Cardani lib. 2. de Venen. cap. 6.* testimonio evinci potest, non universalem illam regulam existere, venena vulneri instillata non æque facile, ac assumpta internectioni dare: dum *Ille venenum Serpentis, ut quaedam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipue utuntur, non in gustu, sed in vulnere, nocere:* Posterior *Venenum, per vulnus inditum, multo majorem vim obtinere, quam epotum, illico enim per venas ad cor facile penetrare posse,* ait *Quinimo ipse jamdum Galenus 3. de tempore cap. 3. classe 1. venenorum quædam assumpta perimere, de foris tamen administrata minus nocere, tradidit: ita quidem ut, quæ extrinsecus applicata nocent, deglutita tale quid haud præstent. Accedunt his Fr. Redi & Charvas experimenta, circa veneni viperini vim adornata, cuncta vero evincentia, illud epotum nec homini, nec brutis aliquid damni adferre, sed vel cum morsu, vel alias, animalis plagæ instillatum, necare: quod ipsum confirmare poterat venenum hellebori, ex observatione *Arcai* mediante sagitta inficiens, minime tamen tale quid præstans, si in adeo exili quantitate, quali telo illinitur, intrinsecus propinetur; ut taceam, venena immediate in spiritus & sanguinem, non, quæ vulgo teritur opinio, in cor similiaque organa solidiora agendo, œconomiam corporis evertere. Deinde nec adeo se-*

Negatur.

vis sanationis vulnera venenosa observantur, ut malo quidem cydonio tolli queat eorum malignitas, utpote quibus ferrum & ignis vix sufficiunt, raraque fatis ideo dici debet avis vulnus venenatum interiora penetrans (quale *Arcai* erat) sanatum, cum ejusmodi violentiora remedia corporis interanea haud admittant. Potissimum, dum venenorum non eadem observatur formalitas, hinc nec eadem alexi pharmaca: ob quam solam etiam varietatem vulnera viscerum venenosa profundiora lethalibus accensere convenit, quod nec de veneno, quo arma imbuta fuerint, adeoque nec de hujus antidoto, constat.

De cætero forsan non omnibus adeo absurdus videbor, si huc & inter causas seu occasiones lethalitatis generaliores retulero illam percussionum sive plagarum conditionem ac habitudinem, intuitu cujus difficillimæ cognitionis existunt illæ. Ducem hoc in passu sequor *Hippocratem de Arie t. 19.* dicentem: *Quæcunque oculorum conspectum effugiunt, ea mentis oculis obtinentur ac superantur. Quæcunque vero ob id, quod non statim cognoscantur, ægritem quædam mala perpetiuntur, ea non ad medicos, curantes ipsos, tanquam ad ipsorum a-* Ob digno-
nis difficulta-
tem quædam
vulnera sunt *bulnera sunt rores, referenda sunt, sed ad naturam ipsius ægri, itidemque ipsius morbi. Et* lethalia. paulo post: *Quando igitur neque ex ægri narrationibus ad infallibilem certitudinem pervenire potest, alio certe respicere Medicum necesse est: quare hujus tarditatis non ars ipsa, sed corporum natura, causa existit. It. text. 21. Quare artis potententiam magis ex merito miremur, si quem ex clandestino morbo ægrum restituat, quam si impossibilibus & desperatis opem ferre moliatur. Unde quamvis ejusdem Hippocratis sensui literali, quoad illa verba, quæ a. l. text. 20. legere contingit, non omnimode subscribam: Medicus siquidem suffecerit ad cognoscendum, sufficet etiam ad sanandum, subscribo tamen ejus effato, quod de *Flatibus t. 2.* exprimit: *Si quis causas corporis affecti probe cognovit, potens est valde, adferre, quæ corpori commodent, nimirum contraria corporibus, morborum natura perspecta.* Et per consequens, si illam, quam omnes concedunt, vulneris lethalis ætiologiam supponamus, quod nulla arte ipsi mederi liceat: nec Medico, seu Medicinæ potius, non cognita seu non cognoscibilia, curare, multo minus sanare, concessum, i. e. vulnera ejusmodi, horumque effectus latentes quia non dignoscuntur, insanabilia, hinc lethalia, dicenda, qualia in aliis partibus rarius, in capite frequentius eveniunt. Quemadmodum Capitis per- idem *Hippocrates de Capit. vuln. t. 9.* de Resonitu ait, *& hanc calami-* cusiones dif- *ficulter digno-* scuntur. *scuntur, ubi facta est, nulla re juvare queas. Nam si passus est hoc ma-**

lum, non est, quod ex ipso exquirere possis, an passus sit hoc malum, neque qua capitis parte.

*Thoracis
quoque.*

Quamvis nec Thoracis vulnera penetrantia adeo feliciter semper dignosci soleant, hinc vim Lethalitatis intendere, oppido & ex variis Casibus constet. Superius, ubi de situ partium vulneratarum, medelæ harum derogante, dissereram, enarravi, juvenis cujusdam pectus dissectum multum cruoris ichorosi monstrasse, nihil tamen aëris strepiferi vulneratum hunc decubitus tempore per plagam expirasse, parum tantum sanguinis per plagam excrevisse, nullum fluctuationis sensum in Thorace percepisse, parum tussivisse, quinimo dyspnœam in eodem per aliquot dies omnino cessasse &c. uno verbo omnia deficiebant signa, quæ cavitatem hanc perforatam & sanguine extravasato scaterere alias innuunt. Pariter. Anno 1707 d. 2 Augusti de Coquo vulnerato Medicus ac Chirurgus, qui ejusdem curam gesserant, deponebant vulnus pectoris quod d. 19. Julii ipsi inflictum, musculus pectoralem sinistrum ac intercostales perforaverat, vasa mammaria ejusdem lateris cum Mediastino atque Pericardio laceraverat, hincque notabili saniei congestioni occasionem præstiterat, in vivo adhuc corpore nec candelæ cereæ applicatione, nec siphone, nec tubulo, nec flamma candelæ admota, explorari potuisse, sed in Sterno, quorsum tendebat, terminari visum, neque ægrum de dolore pectoris punctorio similive conquestum, fuisse, per consequens nec medelam adæquatam innuisse aut admisisse: qualem plagam intuitu recensitarum circumstantiarum per se lethalem pronuntiabam, utut Medicus indigitatus cum Chirurgo, leviores ob rationes contrarium sentirent. Denique notabilem Casum Pectoris Anno 1701. d. 14 Decembris Sigersdorff Silesiorum infausta scelopeti manuarii explosione perforati, minus tamen dignoscibilis, Acta Facultatis Nostræ suggerunt in Nobili videlicet, cujus brachium sinistrum globulis minoribus ictum, quique sine ullis pectoris symptomatis, nisi spasmo Oesophagi, tandem in universalem degenerante, die 26. Decembris animam exhalabat. Sectio Cadaveris globulus multos musculos Brachii diversos cum Vena Basilica & Arteriæ brachialis ramo vicino perforasse ac lacerasse, simul tamen intra eosdem musculos & os Humeri eorum quinque Thoracem adiusse, hujus musculum-pectorem & intercostales, primæ & secundæ Costæ ac dextrum Pulmonum Lobum penetrasse, hinc extravasationem Sanguinis notabilem conceitasse, declarabat. In hujus Læsionis Lethalitate determinanda ambiguos ac dissentientes deprehendimus Medicos, ad deponendum desuper postulatos, licet unus horum cordatior illum, propter obscuro

obscurum & paradoxum ejus tractum ac terminum, a priori haud dignoscibilem, incurabilem asseruerit: cujus sententiam nosmet confirmabamus d. 21 Septembr. 1702. quod tendentia globulorum horum per Brachium ad Pectoris interiora nec ex Symptomatis, nec per lustrationem solertiozem ullam, innotescere potuerit.

Non sola autem ipsius læsionis conditio in se talis est, ut prudentiorum dignotionem, quam accuratissime quoque adornatam, effugiat: sed, quemadmodum per circumstantias Vulnerationis externas aliquando ad vulneris dignotionem ducimur, ita si & his destituamur, filet ac cessat omnis ars v. g. reperitur in via publica percussus, sine suggillatione, vulnere, & nemo adest, qui testetur de percussione, nec ipse tæger, quia sine sensu & aphonus, quem Hippocrates t. 10. & 11. ut passus sit & quomodo interrogandum ait, horum aliquid indicat, vel indicare valet: nonne hujus v. g. calvariaæ contrafractura, hinc vasorum cerebri ruptura, quia nullo modo dignosci valent, incurabilibus, adeoque lethalibus, adscribendæ? ideo quod Ars, quæ non sufficit ad dignoscendum, nec sufficiat ad sanandum.

Quam difficultatem, partem internam primario læsam ac læsionis indolem curatius dignoscendi, aliquando etiam patrat situs seu figura corporis aut membrorum, sub ictus illati momento observatus ad quem se componere sauciatus plerumque nescit, nec Medico, nec Chirurgo fingere semper licet; magni interim momenti in hoc negotio circumstantia, & quam vel casus antecedanei, ratione obliquitatis vulnere declarare poterant: quo ignorato tractu seu sinu, partes profundiores, quæ læsæ, necessario nos latent, consequenter modus illis medendi. Ne dicam de vulnere, tenuiore ensis mucrone factis, & facile denuo coincidentibus, qualia oculum Chirurgi aliquando fugiunt; nec quæ intrinsecus læsa, internoscere concedunt.

Sed magis forsan paradoxum erit, si per figuram vulneris hujus lethalityatem aliquando determinari, aut ad minimum intendi moderarique, dixerim non gratis tamen me hoc attentare, inde puto, quod quarumvis v. g. partium plagæ circulares, seu in orbem factæ, pessimæ ac difficillimæ consolidationisprehendantur, ut præter experientiam Pareus Chir. lib 8. cap. 4 ratione hoc evincit, quod labia vulnere non, nisi per angulum, h. e. duarum linearum combinationem, uniantur, quod in vulnere circularibus locum minus habeat, dum hæc figura unica linea obliqua absolvatur: Vulnere quoque eo majora censentur, quo magis distant eorum labia, quod vulnere

bus sphaericis contingat &c. Si proin visceri alicui, cujus usu integro sine vitalitatis discrimine carere haud possumus, ejusmodi circulare aut cujusvis ad coalescendum minus aptæ figuræ vulnus inferatur, nonne ideo, id est, ob figuram sui incongruam, plaga redditur lethalis, alias & sub alio schemate sanabilis ac salutaris?

Quoniam nihilominus vix adeo frequens hæc lethalitatis ætiologia observatur, missis intrinsicis ad extrinsecas mortis a vulneribus progredior causas, inter quas, & quidem necessarias atque inevitabiles magis, primo ipsa vulnerati textura seu constitutio naturalis occurrit, quam vel crasis & conformatio congenita, vel ætas suggerit. Observo equidem ex Scriptorum, in lethalitatis formalitatem & causas inquirentium, lectione, eorum plures binas has vulnere indigitatas circumstantias illis tantum causis adscribere, quæ illorum in se sanabilia per accidens lethalia reddant; quod quidem illis per me liceat: ostendere tamen haud vereor, easdem, aliquando ad minimum, vulnere lethalitatem per se inferre.

Vulnerati individualis constitutio vulnus ali- quando per se lethale reddis.

Quippe quemadmodum, ubi iudicium de hac expetitur, non, quomodo illa in genere, sed quomodo in Paulo, v. g. Petro aliove individuo, a vulnere mortuo, se habeat, i. e. an immediata mortis causa in hoc subjecto determinatum vulnus, v. g. ventriculi, epatis, mesenterii &c. an secus, extiterit? quaestio est: Sic Responsum quoque sub iisdem terminis specialioribus concipi debet, nisi concipiens stupiditatis notam penes sagaciores incurrere gestiatur. Quod si E. ejusdem individui caput calvaria gaudeat tenuitatis extraordinariæ, adeo ut ab alapa aut baculi exilioris ictu frangatur: quaero, an fractura hæc per se, an per accidens, lethalis nuncupari debeat? Respondeo, non per accidens, quia percussionem & mortem nihil causalitatis intercedit intermediæ; prout per definitiones superius traditas & ab omnibus admissas suppono: sed quoniam a partis percussæ conditione individuali hujusque læsione cuncta symptomata mortifera aut ipsa mors immediata immediate dependent, per se lethalis videtur. Pari siquidem fundamento ac si propter habitum individui robustiorem, hinc v. g. crassitiem ac soliditatem, calvaria extraordinariam (qualem v. g. in cadavere foemineo olim aliquando a me publice dissecto mecum annotarunt trepanationi, in eodem subjecto administratæ, adstantes, digiti nempe minoris crassitiei parem) vehementius percussus nec fracturam, nec lethalia symptomata patitur, hoc individuum mortis periculum non per accidens, sed per se & per suæ texturæ resistentiam, superasse omnes asserent: ita si per texturam individualem, qua corpus ad resistendum violen-

violentiis externis minus potens, aliud individuum percussum moriatur, a percussione, ut tali, ac per se hoc mori, evidens satis est. Porro vulnera abdominis, hujus musculos & peritoneum perforantia, nihilque hujus ventris interaneorum lacerantia, communiter non lethalia observantur: quod si vero concipiatur subjectum, cujus vena atque arteriæ umbilicales præter consuetum naturæ morem, patulæ sint, ac sanguine scateant, qualem conformationem *Coiter. obs. anat. chir. pag. 117. Kerckring. spicil. anat. obs. 7.* aliique Anatomici testantur, hocque ratione dicta faucietur, hinc ex vasis illis unum alterumve discindatur, profecto vulnus hoc non, nisi per se lethale, vocari poterit. Præter reliqua viscera Lienem dislocatum diversi anatomici testantur, v. g. ad regionem hypogastricam & super vesicam urinariam *Ballonius Epidem. & Ephemer. lib. 2. Blasius part. 1. obs. med. 14, & Schraderus obs. anat. med. dec. 3. obs. 4.* ad medium abdominis seu regionem umbilicalem *St. Blankart. collect. Med. Phys. cent. 4. obs. 46. & C. Stalpart. van der Wiel. cent. 1. obs. 37.* Si itaque contingat, ejusmodi hominis vulnerari regionem umbilicalem aut hypogastricam, & sub hac reconditum Lienis viscus cellulosum hujusve vasa perforari ad mortiferam usque hæmorrhagiam: sine dubio in hoc subjecto, cui ejusmodi lienis situs connatus, erit vocandum vulnus illud lethale, utpote quod hæmorrhagiæ illius primaria, immediata & solitaria causa, licet pluribus aliis individuis ejusdem regionis similis punctura vix ullum notabile symptoma moverit.

Par ætatis in discernenda percussionum mortalitate videtur ratio, cum in pueris v. g. casus ejusmodi non tam fingere, quam quotidianos attendere, liceat, sub qualibus vulnus per se lethale evenire poterat, in adultioribus minus tale: & quidem non tantum ratione teneritudinis totius, caloris majoris, minoris temperatorisve &c. sed potissimum conformationis partium vulneratarum naturalis, ætati huic adæquatæ atque perpetuæ. Revocare huc mihi concedatur plagas, abdomen sine viscerum læsione penetrantes, qualium modo mentionem feci, & quales in adultis nemo facile pronuntiaret mortales: quod si autem ex tali pereat infans paucorum dierum, ac in sectione hujus venter ille sanguine plenus reperitur, ob fauciatam videlicet alterutram arteriarum aut venam umbilicalem, nonne per se, imo absolute & simpliciter, lethale hoc dicendum puerili vulnus. Similiter si cranii ac cerebri in puero teneriore summam ponderemus mollitiem ac tenuitatem, nonne hæc illius habitudines, quo minus nec levioribus ictibus sustinendis ejus caput par sit, faciunt, id est, ut calvaria facilius deprimatur, vascula, aut ipsi cum meningibus ac cerebro com-

*Ætas lethali
tati nihil de-
rogat.
s.g. infantilis.*

munia, aut huic propria, rumpantur, molliora ac succulentiora ejus ossa, an-
 notante *Hipp. de Vuln. cap. 1. 25. & Pavvio p. 219.* citius putrescant, cerebrum-
 que vehementius commoveatur, ejusque ad fluorem usque adhuc mollioris
 tractus cum functionum animalium disturbance ac extinctiōe distorquean-
 tur, lacerentur aut omnimode obliterentur seu destruantur? hincque læsio, huic
 ætati minus tolerabilis, dicenda erit per se, & forsā aliquando absolute le-
 thalis? Præterea si v. g. sanguis extravasatus, sub calvaria pueri tenerioris con-
 gestus, mediante trepano educi nequeat, vel quod mollior ipsius textura ejus-
 modi operationem ancipitem sine convulsionum metu haud ferat, vel quod
 calvaria flexibilitas ac teneritudo, seu hujus futurarum laxitas, instrumenti im-
 petum vix sustineat: sane hæ incurabilitatis causæ non accidentales seu evita-
 biles, sed res corpori ejusmodi secundum naturam ac necessario inhærentes,
 ictum talem per se lethalem faciunt, quod omnem medelam respuat. Nec
 Senectuti tantum est pondus, quod vulnus, ex quo juniores frequentius eva-
 dunt, seniori subjecto hinc fati cedenti, pariter minus mortale extitisse per-
 suadeat; quasi nimirum illud occasio tantum, ætas vero immediata & effectiva
 causa, hujus eventus fuerit, i. e. sanatus fuisset percussus, modo senectus non ob-
 stitisset: & per consequens non vulneratorem, sed vulneratum, ad grandio-
 rem ejusmodi ætatem evedtum, mortis culpam gerere. Eo ipso enim, dum, si
 vulnus haud illatum fuisset, senex, valetudine fati mediocri gaudens, forsā
 per plures adhuc annos vixisset, illud non occasionalis, sed vere efficiens, sym-
 ptomatum & mortis causa pronuntiari debet: senium vero causa tantum per
 accidens videretur, utpote quod, hincque corporis robur exilius, percussione
 accidentibus resistere haud poterat, aut est adjuvans atque accelerans duntaxat.
 Adeoque quamvis plaga illa non sit tanta, quæ in juvene aut ætatis consistentis
 homine robusto convulsiones, aphoniam, febrem, gangrænam &c. concitare
 valuerit, viresque enormiter & ad mortem usque mox prostraverit, sufficit tan-
 tam illam existere, quæ decrepito debiliore vere & effective talia symptomata
 graviora intulerit, quæ alias & ab intrinseca causa haud emerissent, & quorum,
 hincque evenientis mortis, causa, utique vulnus, judicari debet, nec aliter
 potest.

Ad res & causas præternaturales proporo, ubi an corporis vulnerati infir-
 mitas, seu morbi præcedanei, vel ad hunc prædispositio percussione per ac-
 cidens tantum lethalem, efficiant, decidere mihi vix præsumerem, nisi præ-
 ter Ictos quosdam, qui vulnerantem infirmum, si hic decedat, de homicidio
 teneri, etiam vulnere in se non existente mortali, decernunt, *Galenum quo-*
que

que de causis procataret. cap. 2. Zacchiam. lib. 5. tit. 2. quest. 3. & 6. ac Fienum Nec status Gal. a. pro lethalitate per se militare animadverterem: ideo quod dato, vulnus leudinarium non mortale, ex corporis vulnerati impuritate ac morbifica dispositione mortale fieri posse, vulnerans morti proximam causam dedisse videatur, & ex corporis infirmitate sola, absque vulneris accessu, non decessisset idem subjectum. *vulnus non lethale facit.*

Quia nihilominus ex Juris peritis *Caballus de omni genere homicid. n. 330.* & ex Medicis *F. Fidelis lib. 4. cap. 9.* a sententia hac recedere videntur, pro quaestione hac, dubiis multis undique stipata, solvenda, ante omnia & primo considerandum puto periculum seu gravitatem & levitatem vulneris, ut talis, quarum hæc seu vulnus leve, propter supervenientem mortem lethale per se proclamari nequit; id est, si hoc non ut plurimum aut frequentius lethale fuerit: contra si periculum majus vulnusque in se gravius, quamvis forsan simile in subjecto firmiore aut robustiore sanetur, vel sanatum fuerit, in hoc tamen individuo, cui mortem per symptomata sibi intrinseca, inferebat, v. g. vulnus capitis per insipientiam, convulsiones &c. omnimode mortiferum pronunciari debet; neque vulnerati v. g. exuperantia humorum pituitosorum, ulcus pulmonum, ventriculi atonia &c. illud per accidens lethale reddent. *Si nimirum vulnus alias maxime periculosum.*

Multominus occisori favebit, si vulnere per se lethali decedat percussus, qui vitam miseram & valetudinariam hæcenus egit: quatenus in robustissimo quoque & sanitate optima fruente subjecto idem eventus a simili vulnere obtigisset, id est sola hæc plaga effectui illi funesto sine morbo antecedaneo, adæquata extitisset: Neque pro eodem sub tali casu res decidi poterit, quasi, si morbi gravitas ac periculum evidens, v. g. phthiseos aut hydrôpis conclamati, apoplexiæ quarti gradus, seu fortissimæ, vulnus, quamvis in se ut plurimum Lethale, mortis factæ causa non videatur, quod tale aliquando salutare observatum fuerit: cum mors ex morbo nihilominus antecedaneo incerta sit, quatenus phthisicos, hydropicos ac apoplecticos desperatissimos aliquando inopinato convaluisse, præter Scriptorum testimonia Experientia loquitur, ita quidem, ut ex apoplexia v. g. mortuos ante triduum haud sepeliendos lege publica cautum sit. Imo etsi de funesti morbji eventu certissime constaret, vix tamen constabit de ejus termino: ita ut vulnus superveniens eundem antevertere forsan videatur, pereatque non ex illo, sed ex hoc, vulneratus.

Deinde distinguendum auguror inter causalitatem infirmitatis præcedentæ minus necessariam seu separabilem, qualis v. g. dum referente *Manardo* ex impuritate corporis erysipelas simileve quid vulnerato accidit: & inter necessariam ac inseparabilem magis, quam binis exemplis seu casibus declarabo, quod

quod conceptu generaliore eam exprimere nondum audeam. Perfoditur. v. g. herniosi scrotum, ut simul enormiter lædantur intestina, ad hoc devoluta, quod Vulnus Scroti in se nequitiam lethale, ob morbum hunc intestino-rum in situ (qui pariter in se non mortalis) lethale evadit: id est, ipse hic morbus antecedaneus causalitate sua ad lethalitatem ita concurrat, ut ipsi nihil detrahat, sed eandem potius conciliet. Contra, si vulneretur levius idem scrotum, intactis intestinis in hærentibus, & vulnere superveniat inflammatio, quæ repositionem intestinorum moretur, hincque vomitus stercorei & cum aliis symptomatis mors eveniant, vulnus inflictum per se lethale dici haut poterit, quod evitabilis fuerit hæc causalitas seu inflammatio i. e. non semper & necessario superveniat. Porro sinistro v. g. rene, ulcere calculove, eousq; affecto, ut secretio & excretio urinæ in hoc per ostiduum turbetur, aut, ut sectiones cadaverum perhibent, plane consumpto vel deficiente, qualia exempla ex *Solenandro sect. 5. consil. 5. Job van Meekren obs. chir. 37. & Cornelio Stalpart. van der Wiel obs. 52.* aliisque petere licet, si vulneretur dexter, non quidem vulnere in se lethali, id est, quod vasa majora aut Pelvim petat, tali tamen, cui superveniat inflammatio, hujus etiam functionem secretoriam ac excretoriam ad interitum usque ægri turbans; an in hoc subjecto non, nisi mortalis, poterit pronuciari plaga renis dextri?

Ferendo huic iudicio me eo promptius applico, quod *Boerius decis. 323.* alique Jurisperiti in casu ejusmodi, si vulnera duo quis patiat, quorum prius non mortale, posterius mortale, existat, sentiant, posteriorem vulnerantem de occiso teneri, i. e. dolorem, vigilia similiaque symptomata prioris plagæ, hincque emergentem infirmitatem, non impedire, quo minus vulnus posterius, in se lethale, tale pronucietur: per consequens nec valetudo adversa seu debilitas corporis præcedanea ulla alia vulneris revera mortalis, lethali-tati, aliquid derogabit, sed Medicos quoque lethale hoc dicere jubet sana ratio. Imo quamvis ipsa pars morbosa, v. g. caput doloribus frequentioribus expositum, pulmo exulceratus, ventriculus anorexia & dyspepsia laborans, vulnere alias lethali afficiatur: quia nihilominus hæc pathemata morti subito inferendæ minus proportionata sunt, seu eorum lethalitas non adeo evidens & certa est, vulnera ejusmodi, iis non obstantibus, utique lethalia pronuciare conveniet: contra, si eorum periculum evidentius & horum lethalitas dubia, seu per accidens saltem eveniat.

Dubium.

Ast quid denique censendum, si vomica pectoris, apostema abdominis &c alias lethales affectus, a percussente ita perforentur aut rumpantur, ut ad cavitates dictas præcipitata materia purulenta ægrum brevi interficiat? vel si asciti-

asciticus vulneratus confertim nimis aquam, & cum hac animam, profundat? nonne vulnus ejusmodi causa mortis immediata erit? quod ancipites etiam hi morbi inexpectata plane ratione aliquando a natura solvantur, adeoque de eventu eorum ultimo in hoc quoque subjecto incerti sumus? Ambigo.

Quod si vero de vulnere nec absolute, nec frequentius, mortifero, sed de tali, quod in se ut plurimum sanabile observatur, sermo fuerit, simulque ejusmodi infirmitatis præcedentæ seu status valetudinarii supponatur causalitas, quæ symptomata mortalia non necessario patret, i. e. illud propter cacochymiam v. g. gangrænam febremque graviolem moveat: res dubia magis & iniquior forsitan videbitur illius severitas, qui ex ejusmodi casu mortuum vulnere per se lethale occubuisse assereret, hinc vulnerantem homicidii accusaret.

Quoniam nihilominus, si de symptomatis constet, ea ex vulnere ipso emeruisse, hoc in corpore cacochymico debili ac valetudinario se ut causa mortis proxima & efficiens habet, eo quod absque illo infirmus seu cocochymicus ne utquam decessisset; neque dici potest vulnere novum supervenisse morbum, quatenus conditio seu constitutio ejusmodi corporis non aliter fert, quin alias salutare vulnus in eo semper prava symptomata & per horum atrocitatem mortem causetur: dyscrasia illa viscerum, cachexia, partis læsæ imbecillitas &c. causæ tantum per accidens, seu occasionales, non effectivæ, pronunciari debent, utpote ratione quarum accidentibus, quæ idem vulnus sequebantur, resistere subjectum hoc morbosum minime poterat. Per consequens, vulnus, quod in hoc vel illo individuo, intuitu determinatæ seu valetudinariæ dispositionis, magnum & grave satis est, mortemque in similibus subjectis ut plurimum pedissequam habet, accidentium quoque suorum & mortis hinc eventus causa proxima audit. Ut proin percussor ille, cujus Bonetus Anat. præct. lib. 4. sect. 3. obs. 29. §. 1. meminit, satis prudenter dixerit, audiens, cacochymiam biliosam ab ictu externo commotam symptomata lethalia in percusso excitare potuisse, qui evasisset, si illam humorum colluviam ante rixam pharmaco exclusisset: gratias ago pro salutari monito, nunquam enim deinceps cum quopiam altercabor, quin eundem prius sic adoriar, cura tibi corpus expurgari & venas sanguine depleri, demum te, prout promeritus es, multabo. An vero, qui illud intulit, Homicidæ nomen ac poenam mereatur? alterius est fori.

Contra, si vel vulnus ratione exilitatis, seu levitatis suæ tantis symptomatibus, nec in valetudinario subjecto, inferendis non fuerit proportionatum, vel alias evidens sit, accidentia hæc minime a vulnere, sed a procatarxi corporis, ut tali, emergere, v. g. si vulnere cruris parvo superveniat in cachectico gangræna, emergere, v. g. si vulnere cruris parvo superveniat in cachectico gangræna, *Quando dicitur, A vulnus per accidens lethale redpulmoniaco dat?*

pulmonifaco &c. Subjecto strangulatio: non ex hoc, sed ex illa, mortuus iudicabitur vulneratus, neque hoc lethale dicendum; cuius etiam generis videtur, quod paulo post ex *H. Augenio* in scenam producatur. In presentiarum exempli loco sit rusticus ille, ex pugno pectori inflicto mortuus, cuius historiam *Bogdan.* apud *Bartholinum cent. 4. epist. 11.* describit. Sc. ebrius hic ex pugno pectoris supinus sternebatur, extemplo conquestus de frigore, dolore lumborum & ambulandi difficultate, nihilominus post aliquot horas extra urbem ad suos se conferens: ubi decumbebat, sanguinem spuebat & laterum gravissimis puncturis excruciebatur, cum siti ingente, delirio & convulsionibus funestis. Ejus cadaver cum jussu magistratus inspiceretur, in dorso & lumbis comparebant maculæ longiusculæ, instar vibicum, incisæ tamen nihil sanguinis extravasati exhibentes, pudenda ad gangrænam usque livida, & in sinistro Olecrano ecchymoma, foetor simul horrendus. In aperto abdomine omnia integra & salva. Sub thoracis mamilla dextra, plagæ inflicte vestigium, macula nempe livida, sine effusione tamen cruoris, omnique costarum ac sterni læsione: interiora vero hujus ventris cuncta quasi fumo fuscata conspiciebantur, pulmones undique pleuræ adhærescebant, exsuccii, intus putidi & instar puris inspissati atque exsiccati. In cordis, omnino flaccidi, ventriculo utroque polypi ingentes, in capite vero pariter dissecto nihil præternaturalis reperiebatur. Quem percussum non a percussione violentia, sed cordis & pulmonum imprimis prava diathesi, periisse, idem *Bogdan.* cum Medico & Chirurgo sociis egregie l. a. deposuerunt.

Quod casum concernit, quem ex *Manardo lib. 6. epist. 1.* allegat *Zacchias*, quendam sc. ex vulneribus capitis binis levioribus vixque calvariam attingentibus, propter erysipelas ac febrem octavo, & paralytin atque loquelæ deperditionem duodecimo, die, sine ullis pravis symptomatis, quæ de cerebri læsione suspicionem movere poterant, præviis, supervenientes, decimo quarto decessisse: hæc equidem vulnuscula vitiosorum humorum motui lethali aliquando occasione existere & mortem inde secutam ex humoralis æque ac locali procatarxi, non illorum magnitudine, contingere posse, *Manardo* facile largior. Quia vero nec caco-chymiam totius, nec infirmitatem capitis, præcedaneam evincit idem, ac neglexisse videtur cadaveris sectionem atque inspectionem: in fabro illo ferrario, de quo quæsitus respondebat, an res ita se habuerit, ambigo, potissimum cum argumenta illius haud sufficientis connexionis appareant.

Multominus *Zacchia* condescendere possum, qui dum vulnera hæc cum *Manardo* non per conditionem sibi intrinsicam & ex symptomatis, a vulnere immediate dependentibus, sed a procatarxi individuali, lethalia reddita fuisse concedit, vulnerantem nihilominus proximam morti causam dedisse, scribit: quatenus quæ in iisdem a *Manardo* supponitur, exilitas occasionem tantum pravorum humorum motui subministravit, ac proin symptomatum lethalium causa proxima vulnera vix extiterunt.

Memorabilis ac difficilioris solutionis mihi videtur Casus, a Præfecto Quæsturæ Reinhartsbrunnensis-Gothanæ Anno 1701. d. 12. Nov. Collegii Nostri decisioni expositus: quem prudentiorum disquisitioni commendo, ideo prolixiore paulo stilo eum delineans. Verberibus variis ac duris a duobus Compotatoribus excipiebatur, pedibus conculcabatur, tandemque de scala dejiciebatur præceps Valentinus Iust, Minister nominatæ Quæsturæ pragmaticæ, Vir alias robustus & quadratus. Hic quotidie in pejus ruebat, licet parum hinc decumberet, conquestus interim de algore totius cum æstu alterante, dolore pleuritico, oppressione pectoris, tussi ferina, appetitu Ventriculi prostrato & Corporis Contabescencia evidente; donec post quatuor fere Septimanarum decursum, sub ardoris in dorso vehementioris sensu, morte repentina suffocatus perierit. In ejus cadaveris Thorace Cordi ac Pulmonum dextro lobo, non sine stupore, annatum cernebatur Steatoma glandulosum, trium circiter libræ pondo, quod Scirrhum Cordis aut maris, Pericardii ajebant Profectores. Pulmonum compages hinc inde similibus tuberculis glandulosis, mole globis bombardarum paribus, stipata erat: Spina autem dorsi a superiore ad undecimam vertebra[m] valde intorta atque incurvata, & in sinistro Thoracis latere folliculus comparebat membranæus, palmam æquans, qui ruptus procul dubio, sub ardore præcedaneo, quod continuerat, demum ad cavum Pectoris, ad suffocationem profuderat, serum cruentum notabilis quantitatis. Neque tumor ille Cordis ac Pulmonum a percussione hac ultima, sed antiquioris originis forte ac profapix, videbatur: Etsi, quod mirari meretur, sine molestia horum Organorum & eorum actionibus conturbatis, virium attritione ullove valetudinis incommodo gestarit eundem miser ille. Curvatura vero Dorsi, hujus sugillationis & Abscessus sanguinolentus brevioris forsitan ætatis & percussione atque delapsus producta erunt. De qua re dum quærebatur, an lethalitatem involvat, dubie responsum fuit: Contorsionem equidem Spinæ, Sugillationem internam ac Apostema cruentum probabiliter a violentia illata facta fuisse; profusionem

autem Seri sanguinolenti una cum Cordis Pulmonumque tumore glanduloscirrhoso mortem hujus subjecti mutuo concursu accelerasse, ac solas læsiones, ab extra factas, minime per se lethales asseri posse.

*Atmosphæra
habitus ali-
quando letalia
per se red-
dit vulnera.*

Circumstantiis externis necessariis, Lethalitatem vulnerum moderantibus seu determinantibus, accenseo atmosphære certam ejusmodi habitudinem, quæ quamvis forsan ad diætam potius seu ægri gubernationem ac Chirurgi Curationem, adeoque ad contingentia magis, videatur spectare, quin tamen sub certa relatione eam rem inevitabilem magis asseram, nihil me moratur. Suppono nimirum ex diversorum Celebrium Magnæque Experientiæ Scriptorum consensu, quibusdam non tam Zonis ac Climatibus, v. g. dum *Sebizius Examin. Vulner. prodr. part. 3.* vulnera capitis in Germania præ Hispanorum ac Italorum minus periculosa & *Pavv. in Hipp. de Vuln. cap. laxis capite aerem circa lineam æquinoctialem infaluberrimum testatur*, quam urbibus ac agris particularibus magis peculiare contingere cœlum, Vulneribus his vel illis modo propitium, modo infestum magis. Sic v. g. *Pareus de Remunciat. de tempestate*, quæ olim in obsidione Rothomagensi & in agro Dionysiaco regnabat, omnes glande, sclopeto ignivomo elisa, vulneratos de vita periclitatos fuisse perhibet, imo *Idem Chir. lib. 10. cap. 8.* cum *Guidone de Cauliaco* capitis plagas Lutetiæ Parisiorum contumaciores longe, quam Avenioni, ubi tibiæ vulnera difficilius, quam Lutetiæ, sanantur, deprehendi, asserit. Atmosphæram Florentinam *Vidus Vidius lib. 6. de Curat. membrat. cap. 2.* eandem cum Ferrariensi *Quercetanus Sclopet. ar. cap. 3.* Florentinam cum Bononiensi *A. Lusitanus cent. 6. curat. 100. Jerem. Martius obs. 18. & Job, Vdalric. Rumlerus obs. 76.* capitis pariter vulneribus pestiferam maxime referunt, contra, in agro Ragusæ & Romano vix enormissime capite sauciatos decedere, posterior subdit. Temporarium ejusmodi influxum de Mantuano aere testatur. *M. Donatus de Variol. cap. 2.* dum inquit: *jam agitur quartus vel quintus annus, quod in civitate nostro Mantuana, quicumque in capite vulnerabantur, licet leve admodum vulnus ipsis inflictum esset, quovis administrato auxilio sanari minime potuerant, qui tamen influxus post tertium vel quartum annum penitus abolitus fuit, ita ut nunc fere nullus eadem in parte sauciatus moriatur &c.* Denique in obsidione ultima Regni Candix Metropolis peculiaritatem & vulneribus adeo exitiosam aeris malignitatem annotarunt Chirurgi, ut potior sauciatorum pars periret, testante hoc *Leonb. Tassin Chirurgie Militaire.* Quibus ita se habentibus vulnera tali tempore ac in ejusmodi locis inflicta sine dubio per se lethalia dici debent: quod aeris hanc texturam cœlive constellationem aut quamvis habitudinem, sive endemicam sive epidemicam, nec agro

ægro, nec chirurgus, emendare aut immutare, adeoque intuitu hujus effectus non minus accidentale quid ac aliarum provinciarum & locorum constitutiones, morbos communes producentes ac foventes, asserere, concedatur.

Pergo ad res contingentes ac ad Lethalitatem percussionum indifferenter magis se habentes: i. e. pro quarum diversa relatione ad vulnus hoc modo mortale, modo non mortale, appellandum. Inter quas primo occurrunt symptomata, illi supervenientia, quæ insulsi ac perversi occisorum defensores, ut circumstantiam, qua vulnus per accidens tantum eveniat mortiferum, allegant, id est, non ex hoc, sed ex accidentibus, vulneratum occubuisse, judici per suadere frivole satis moluntur: cum nihilominus interdum perinde sit, mortem ex ipso vulnere immediate, ac ex symptomate, evenire. Quatenus hæc & illud aliquando, imo forsitan ut plurimum, ut causa & effectus, inter quæ symptomata mediant, se habent; sive hæc vulnerationem mox excipiant, sive paulo post superveniant: ita ut, qui ex hæmorrhagia vulneris moritur, moriatur revera ex vulnere, qui ex apoplexia ab ictu capitis vehementiore concitata, perit, a percussione interficiatur, pariter, qui a lipothymia & asphyxia succumbit, ex vulnere cordis, illarum causa immediata seu proxima, decedat. De cætero quemadmodum ex symptomatum gravitate ac multitudine læsionis gravitatem in vivis adhuc, & antequam eorum læsas partes penitus inspiciendi ac secandi copia fiat, auguramur, ex illorum absentia plus salutis sauciatis pollicemur: ita præter & post inspectionem quoque factam attendere jubemur symptomata plura & vehementiora, ac vulneris ad mortem influxum ex horum syndrome colligimus; sin mitiora aut nulla adfuerint, potissimum si vulneratus aliquandiu supervixerit, non raro de plagæ etiam atrocioris, mortalitate ambigimus, dum v. g. H. Augenius tom. 1. lib. 9. epist. 2. de vulnere quodam capitis iudicium ferens, illud non lethale fuisse inter alia inde concludit, quod nulla symptomata, ut cerebri ac membranarum discissurarum signa, sc. vomitus biliosus, corporis syderatio, adfuerint. Paucis, supervenientia & perseverantia symptomata, v. g. febris, dolor, spasmus sinistiaque, ex quibus percussus in deterius labitur, ac mortem tandem obit, hunc ex vulnere mortuum præsumere faciunt, pro contraria vero militat præsumptione, ubi contrarium evenerit, i. e. nulla eorum vulnere superveniunt, aut brevi evanescent seu notabiliter remiserint eadem.

Cum autem symptomatum, vulneratis exitiosorum, triplex observetur genus, & horum alia ex vulnere ipso, ut tali, hinc a parte læsa immediate,

Propter symptomata supervenientia vulnus lethale minus tale semper dici nequit.

Si multis & gravioribus symptomatis destituitur vulneratus, vulnus non lethale videtur.

Symptomata vulneratorum triplicis sunt generis.

emergant; alia aliam extra vulnus causam agnoscant; alia indifferenter se habeant, id est, modo a vulnere, modo aliunde eveniant: probe omnes ac singulæ ponderandæ sunt in vulnerato circumstantiæ, & ex harum demum collatione, cujus generis sint illa individui præsentis, prudenter inferendum.

*Nota, quibus
an symptomata
a vulnere,
an aliunde
dignoscatur;
1. si turbent
actiones ipsius
membra vulne-
rati.*

Primæ & secundæ classi accidentia dirimit I. functionum membri sauciati & symptomatum emergentium collatio: i. e. si hæc illas turbent, a vulnere, contingunt, hocque lethale reddunt; sin alterius generis fuerint, aliunde dependent, nihilque lethalitatis ipsi adferunt. Sic v. g. vulnus ventriculi qui comitantur, singultus, nausea & vomitus, qui affectus soporosi, epilepsia &c. plagam capitis excipiunt, ex læsione, ut tali, eveniunt: proin si vehementius & ad mortem usque affligant, ex illis, hæc concitantibus, æger mortuus, eademque per se lethalia dici debent. Sin vero. e. g. Vulneri vesicæ sese jungat dolor pleuræ punctorius, dyspnœa, tussis cruenta &c, qualia non vesicæ functionem frustrantur, aliam extra illud hæc symptomata agnoscunt causam: & per consequens, ex his si pereat vulneratus, non ex vulnere perit; potissimum hæc accedente circumstantia, quod per prædispositionem vel naturalem, vel præternaturalem, in hoc vel illud symptomata magis pronum fuerit Individuum defunctum v. g. erysipelas, epilepsiam &c. Pluribus casibus ne Lectori nauseam pariam, sufficiant a *Fieno loco superius alleg.* adducta: *Si quis læsus in ventre & supervenit apoplexia, & vulneratus esset Senex, probabile esset, illam apoplexiam ortam esse ex propria causa ac dispositione cerebri & non ratione vulneris illius, quia talis morbus non est natus sequi tale vulnus, & verosimile est, talem apoplexiam eventuram fuisse, etiam si vulnus non fuisset inflicto, & proinde non vulnere, sed apoplexia est imputanda mors. Sic si quis in capite vulneratus esset, & superveniat phlegmone, & inde gangrena in pede, ex qua mors sequeretur, tum censendum esset, illum non ex vulnere, sed ex alio morbo qui fortuito supervenit, mortuum esse.*

*Sibe immediate,
sibe mediate.*

Neque tamen illa tantum symptomata, quæ actionem partis læsæ turbant, adeoque immediate magis ab hujus soluta unitate eveniunt, patratores mortis insequentis exiltunt, sed classi huic pariter accensenda veniunt, quæ alia minusque percussa organa afficiunt, modo constet, eadem a percussione illa, ut tali, quamvis mediate contingere: qualia a capitis læsionibus gravioribus omnium frequentissima observamus, v. g. vomitum biliosum, dyspnœam, urinæ suppressionem, alvi fluxum &c. quem, percussionebus capitis supervenientem, absentibus quamvis aliis symptomatis, cerebri lacerati signum esse, & quidem ut plurimum mortale, *Marchettus obs. med. chir. 15.* asserit. Spectant

huc

huc pustulæ, in lingua ex sphacelosa cerebri corruptione exurgentes, & vel cum stupore & aphoniam, vel cum partis oppositæ convulsione, per experientiam *Parei lib. 9. c. 9.* mortem inducentes: item illa materiæ purulentæ ex capite ad pectoris & abdominis cavitatem metastasis, qua tractu temporis pleura, pulmones, lien, epar &c. eroduntur & apostemata ac ulcera contrahunt. Ita quidem, ut rei hujus ignari abscessus ejusmodi, in cadaveribus apparentes, in partibus illis immediate exortos clamitent, eosque, non vulnus capitis, mortis causam primariam existiment, quod ex capite adeo copiosum pus ad inferiora viscera delabi, sibi haud persuadeant: quibus nihilominus *Pigræus chir. lib. 4. c. 9. Ballonius de Convulsion. in append. Joh. van. Meekren. obs. Chir. 2. & 3. Ephemerid. Nat. Curios. ann. 2. obs. 19. Bonetus Anat. pract. l. 3. f. 17. obs. 12. & lib. 4. sect. 3. obs. 16. & Marchettus l. a.* contradicunt, ac posterior multijugam suam commendat autopsiam, & quidem sub hac conditione seu circumstantia infallibilem, si nimirum in ejusmodi vulneribus collum, potissimum parte sua antica & laterali, doleat, tanquam signo delabentis ad inferiora materiæ purulentæ. Imò hic recordor gangrænæ in pollice pedis, ex levissimo capitis credito vulnere, in Adolescente contingentis atque in sphacelum lethalem abeuntis: in cujus calvaria nihilominus præter fissuram exilem & inter binas meninges sanguis purulentus reperiebatur. Hinc omne dubium circa casum a *Smetio Miscell. lib. 10. p. 561.* enarratum animo excutere nequeo, ubi quendam ex vulnere capitis cœsum inflicto, superveniente pleuritide, post tertiam septimanam mortuum, non vi vulneris, sed morbi accessorii, periisse, putat: quod nihilominus pus sub calvaria in ictus loco, contrassuram in hujus lamina interiore, hincque fragmentum squamosum, pollicis latitudinem habens, se in apertura capitis offendisse, ipsemet scribat.

Peculiare insuper aliquid hoc in passu sibi vendicant vulnera quorundam nervorum, in se equidem vix lethalia, intuitu tamen organorum, magni ad vitam usus ac necessitatis, quorum actionem illa sufflamant, talia dici merentur; i. e. quamvis non in loco vulnerato, sed in membro, ab hoc remotiore, eveniant symptomata, mediantibus quibus interficiunt, v. g. si saucietur collum, simul discindantur nervus octavi paris & intercostalis, hincque contingant deliquia animi, dyspnœa ac tandem asphyxia & suffocatio. Non pathemata mortifera ejusmodi tantum partium hic attendi volo, quæ sine nervorum laceratorum integritate ac spirituum animalium influxu ordinario in actione vitali deficiunt, sc. modo indigitarum cordis ac plumonum, quod *Guido l. a. ex Avenzoare* innuit, quando, si lesio fuerit in nervis anbelitus, mortalia.

Apostema & erosiones partium inferiorum a capitis vulneribus.

Vulnera nervorum ratione partium, ad quas abeunt.

Seu cum quibus consensum præstant.
vitur *paciens suffocatus brevi*, ait: sed illorum pariter membrorum, quæ per sympathiam quandam communiter dictam, si quæ ipsis cum nervis, aut in extremitate, aut in medio, seu circa plexus, læsis, intercedat, lethalia symptomata sustinent. Quid frequentius, quam a tendinum & nervorum in artubus contusionibus & lacerationibus deliria, convulsiones aliosve affectus generari? qualia exempla *Glandorpius Specul. Chirurg. obs. 41. 42. ac 43.* refert, quos, quamvis mortales eveniant, quia nihilominus ab ejusmodi externorum læsionibus emergunt, quæ, cæteris paribus, Chirurgiæ locum concedunt, lethales per se vix declaramus, Ast liceat ita formare casum, ut vulneretur plexus mesentericus superior aut renalis, aut insertio nervi stomachici reticularis circa orificium sinistrum, hi vero in consensum trahant cor, aut cerebrum, & quidem per ejusmodi symptomata, quæ principium vitale hujusve influxum immediate magis destruunt: & tunc si quærat, an vulnus hujus plexus nervi sit lethale? tacebunt omnes, quotquot materiæ huic disquirendæ se hæcenus dicarunt Scriptores.

Cerebrum a nervi cujuscunque punctura, contusione &c. in consensum rapi, *illamque ad nervorum (reliquorum) convulsionem excitandam promptam esse*, ratione continuitatis, quæ huic cum illo, ut suo principio, intercedit, *Galenum art. med. cap. 92.* animadvertisse, legimus: quia vero idem subdit, *ac tum præsertim cum nihil extrorsum expirat, obcæcato cutis vulnere*, non sine ratione me acturum confido, si internorum seu in cavitatibus reconditorum nervorum majorum læsiones, quæ convulsionem totius funestam patrant, per se lethales asseram; quod omnem medelam, imo extremam quoque, sc. præsectionem, propter situm, renuant. Verum vulnera plexuum ac nervorum abdominis Cor & Organa Pnevmonica ad mortem usque spasmis concitatis afficere posse, ac, si afficiant, ideo per se mortifera dici debere, paradoxum magis judicabunt, quos Anatome Nervorum, a Neotericis demum accuratius exculta, latet: qui nihilominus sibi facile hoc persuadebunt, modo, si forsan ipsi operi manum commodare detrectent, *Willisti ac Vieussens*, Scripta, improbo labore congesta, legere malint; quod antequam ab iis impetravero, frustraneus foret conatus, quem in ejusmodi hominibus, qui primis fundamentis destituuntur, informandis impenderem.

2. Si mox cum
 vulnere emer-
 gant.

Præterea an accidentia lethalia a vulneris conditione, an aliunde, eveniant, dignoscitur forsan II. ex tempore invasionis, i. e. si mox cum vulnere, aut brevi post, aut tunc temporis, v. g. die quarto, quod inflammationis audit, ingruant plagæ, non alterius causæ, producta censerentur quod talia

errores in diata & medentium incuriam imperitiamve, a quibus vulnus per accidens lethale fieri poterat, excludant: secus, si vulnerationem præcesserint, aut tardius, ubi nimirum res in salvo videbatur, demum emergant eadem.

Ita cum plerisque sentit *Farinacius Conf. crimin. lib. 2. cons. 171.* quale quid tamen cum discretione seu iudicio pleniore tantum admittendum. Non modo, quod ex solennioribus & inevitabilibus magis plagarum accidentibus quædam non primo statim harum momento, sed tertia quartave die demum, aliquando compareant, inflammatio sc. Febris, dolor aliaque ex his emergentes molestiæ: verum quod aliquando talia accidentaliter quoque vulnerato longius post supervenire queant, quæ peculiaria in hoc continent mala eaque gravissima atque lethalia, & quidem immediate ex vulneris habitudine. Huius loci reddere licebit casus illos, quos superius recensui, sc. ubi portiuncula pinguedinis vulnus Venæ Iliacæ ad plures dies eousq; obturabat, ut decimo tertio demum Hæmorrhagia lethalis vulneratum enecavit: item ubi ex relatione *Th. Bartholini* Arteriæ cruralis vulnus a grumo sanguinis eousq; fuerit obturatum, ut enormior hæmorrhagiæ ad decimum quartum usque hinc interpellata fuerit, hocque symptoma tardius recidivans mortem attulerit. Ut taceam, tela, globulos similiaque extrinsecus immixta atque aliquandiu relicta fluorem equidem sanguinis lethalem aliquantisper interdum morari, haud tamen omnimode avertere. Proin perpetuæ consequentiæ haud erit, ideo, quod symptomata percussum non statim a principio præhenderint, vulnus non esse lethale: quemadmodum nec connexio undique valida videtur, pro inferendo vulnere lethali ex symptomatis mox corripientibus, si sc. temporis tractu secundum rationem mitescant aut cessent, prout ex tertia conditione elucescet.

Quod III. eo certius erit, si eadem symptomata a principio ad mortem usque perseverarint, aut si alia ejusdem generis accidentia pristina excipiant, v. g. nausea vomitum, vertiginem epilepsia, utraque tamen in pejus semper vergant.

Neque tamen cuncta symptomata, quæ vulnus mox sequuntur, & ad mortem usque durant, ideo illius effectus credere convenit, sed eorum quædam aliam quoque causam & apparatus morbificum internum agnoscunt, si nempe vulneris conditioni non fuerint congrua, & procatarris morbifica ex signis pateat. Ex quo fundamento *H. Augustus* v. g. loco allegato febrem continuam, in leviori capitis vulnere, ipso vulnerationis die exardescentem non symptomaticam, sed primariam, ait, i. e. quæ propriam habeat consi-

Aliquando etiam tardius supergenescit.

3. Si ad mortem usque durant.

Non omnia symptomata, mox cum vulnere emergentia, huius prodelta sunt.

Neque cessatio seu intermissio symptomatum semper aliunde hæc esse, ebincit.

stentiam, a vulneris occasione distinctam : quod vulneratus ab aliquo jamdum tempore prædispositionem febrilem, seu biliolarum cruditarum congestionem, aluerit, hinc in cephalalgiam ac lassitudinem totius ulcerosam incidit, morbi imminentis prænuncias; evacuationem humoris peccantis præscriptam neglexerit, & febris citius justo eum invaserit, antequam sc. vulneris vehementia tanta vel putredo in cerebro vulnerato exoriri poterat. Nec, si melius quandoque se habeat vulneratus & symptomata aliquandiu remittant aut cessent, pereat nihilominus a plaga ille, in alias ab hac causas culpa semper referenda, eademve mox non lethalis proclamanda : cum annotante *F. Fiedel. l. a. multas ac graves invenias agritudines, ac præsertim malignas, quarum aliquando severities intermittat, mortem tamen propria natura adferunt,* quidni vulneribus quibusdam simile quid contingeret, ut & hæc videantur curari, ac æger melius inde habeat, illa nihilominus sero postmodum per symptomata aut pristina, aut nova, ad mortem usque ingravescant? Induciarum ejusmodi perfidiam læpius experiuntur vulnera capitis, quorum quædam parva, superficialia & sine omni calvariæ fractura videntur, cum nihilominus sanguinis ex vase interiore, a contusione lacerato, extravasatus longiore demum temporis tractu, v. g. decimo quarto aut trigesimo die putrescat, suppuretur, cerebroque phlegmonem, sphacelum aliaque mala & symptomata inducat.

Etiã recidivãnt Symptomata.

Nec desiciunt Casus, ubi post graviora vulnera & prava horum symptomata percussus quidem reconvalescit, recidivas nihilominus horum aliave experitur accidentia & moritur; quorum illud per robur naturæ, vim læsionis & accidentium superantis evenit, hoc concipiendum, si cruor extravasatus hætenus nec premedo, nec vellicando, aliquid molestiæ attulerit, tandem vero in putredinem abripiatur, inflammationem concitet & suppuret; In quilibet discernere vel ipsa Lex divina nos instruit, dum *Exod. c. 21.* Percussorem ab Homicidii pœna absolvit, si percussus ad obambulandum reconvalescat: unde necessario inferendum, illum, qui post evidentem reconvalescentiam pristinis denovo, vel aliis, corripitur symptomatis, hincque moritur, ex vulnere antecedaneo vix decedere, i. e. annotante *Grotio in text. alleg. Et Lex. & Mos, & Æquitas exceptiones legi addidere, si vulneratus aliquo tempore melius se habuerit, ut credi possit, magis Medicorum ac sua negligentia mortuus.* Cui cœteris paribus *Th. Fienus Semiot. part. 1. s. 4. c. 1.* annuit, quod ex eo, dum Vulneratus post aliquot dies melius se habuit & convalescere incepit, vulnus non fuerit lethale, disparente omni periculo ac difficultate; cum

si le.

si lethale extiterit, æger non melius, sed paulatim pejus, se habuisset: adeoque quod tandem tam sæva symptomata evenerint, certum reddere, quod vel ex parte Medici, vel ægri, aliquis error fuerit perpetratus, etiam si is minus innotescat; vel quod alius affectus supervenerit, non ratione vulneris sed peculiaris suæ causæ & prævæ corporis prædispositionis &c. Dari nihilominus pergit *idem Scriptor* ejusmodi aliquando occasiones, in quibus æger prius notabiliter reconvallescere videatur, superviant nihilominus sæva symptomata, hæcque cum ipsa morte vulnere imputanda fore; in quali nempe intus materia aliqua aut sanguis ruptis vasibus extravasatus & retentus, temporis progressu putrescendo, suppurescendo &c. nova mala moveat, ut vulneribus capitis non infrequens contingat, levioribus primo visis, decimo septimo aut decimo octavo demum diæ pessima symptomata ac mortem inferentibus. Extra talem casum & ordinarie, si vulneratus melius se habuerit, & convalescere visus fuerit, & per plateas aut ad templum exierit, posthac nihilominus moriatur, mortem non vulnere, sed alicui errori commisso, esse adscribendam.

Tandem & IV. quemadmodum, si constet, vel Ægrum, vel Chirur-
 gum enormiorem errorem commisisse, symptomata, hunc excipientia, si ta-
 lia fuerint, quæ, ut effectus illum sequi queant, verosimiliter gubernationi il-
 li prævæ tribuimus: ita si talis non contigerit, nihilominus sub symptomatis
 gravioribus obierit vulneratus, hunc ex vulneris symptomatis seu ex percus-
 sione mortuum asserimus. Declaro hoc per exempla, quæ *Fienus loco alle-*
gato suggerit. Si, inquit, *Chirurgus sua ignorantia non scivisset fluentem ve-*
nam compescere, & inde secuta fuisset magna debilitas, vultus pallor, asphyg-
mia, est indicium, mortem esse secutam errore illius Chirurghi, quia talem erro-
rem talia symptomata sequi nata sunt: Si Chirurgus neglexisset adhibere repel-
lentia, & exinde secuta fuisset magna inflammatio, vel nimis frigida adhibuis-
set, & exinde secuta fuisset gangræna, ex eoque mortuus esset (vulneratus)
verosimile est, eum mortuum esse ex errore Chirurghi, non vulneris magnitudi-
ne: nam tale symptoma natum est sequi talem errorem commissum. Si æger
continuo vinum bibisset, & secuta inde fuisset vulneris inflammatio, vel sangui-
nis fluor, aut magna febris, & ratione ejus æger mortuus esset, verosimile est,
eum ex errore proprio, & non vulneris magnitudine, periisse.

Ac de his Vulneris symptomatis locum habet, quod cum *Boerio* suo ple-
 rique Ictorum asserunt, sub his si moriatur vulneratus, ex vulnere eum de-
 cedere, utpote quæ, ut effectus, testantur de sua causa, vulnere se. hujusque
 gravitate: i. e. hæmorrhagia impetuosior, cui mederi nulla arte licet, dum

interimit, vulnus vasis fauciatum perimere dici potest, Imo circumstantiis his probe observatis determinari valet, quæ accidentium indifferentium, seu quæ modo vulnus sequuntur, modo ex alia quadam causa oriuntur, v. g. febres, vomitus &c. in individuo præsentem revera a vulnere, quæ aliunde, dependent: illa augurando, quæ mox cum vulnere aut consueto tempore apparent, & cum illo ingravescent, tanquam illius immediatos effectus & mortis causam immediatam; posterioris vero generis, quæ longius a percussione & quovis tempore, non solenni, eveniunt.

Vulneris etiam lethalitas confirmatur, si pta exigunt, nullumque errorem vel in diata, vel Chirurgia ac Pharmacia, committant, vulneratus nihilominus decedat, illorum lethalitas arguitur aut dubia confirmatur: sic, si de malo regimine aut eorum alteruter, aut uterque, convineatur, nisi mortalitas evidens plane, seu vulnus in se mortale, extitisse, ex aliis signis & autopsia constet, mortis culpa in hos redundat, & illud eventui huic per accidens tandem occasionem præbuisse dicitur. Ager accusatur, si negligentem aut cervicosum in admittendis ac adhibendis remediis se gesserit, si sex rerum non-naturalium rationem accuratorem non habuerit, aut intempestive seu tardius Chirurgum advocarit. Chirurgus vero seu Medicus Vulneris, in se levioris, periculum ad mortem usque intendit, si non agat, quæ in artis potentia sunt, si v. g. venam minus tempestive secet, hæmorrhagiam vel non, vel intempestive supprimat, sanguinem extravasatum, festucas, fragmenta ossium similiaque exterius immissa non educat, item, animadvertentibus Boerio decis. 323. Farinacio de homicid. quest 427. p. 3. aliisque Iuris Commentatoribus, incantationibus potius, quam remediis naturalibus, sanationis aleam committat &c. Quales tamen ex Percussi & Chirurgi erroribus formatae exceptiones suas limitationes pati ex cap. 1. repetendum. Hoc loco saltem attendendum, quid circa vulneratum plerumque eveniat, qualem hic & Chirurgus circa eundem se gesserint: quo his diligentius inter se collatis demum constet an ex habitudine ipsius plagæ, an aliunde, symptomata prodierint. Interim nec, quod rudiorum ac imperitorum commune alylum est, sufficit, fecisse Chirurgum ac molitum fuisse cuncta, quæ in ipsius potestate erant; sed tunc demum ab omni culpa absolvitur hic, si, quæ in artis potestate sunt, præstiterit. Quatenus Percussiones ejusmodi, ratione suarum circumstantiarum, tales aliquando operationes postulant, quarum nomen ejusmodi Magistri inertix vix norunt, nec instrumentorum congruo-

Deinde prout, si Ager ac Chirurgus in gubernandis ac tractandis Vulneribus suis muniis rite fungantur, nihil eorum intermittant, quæ Artis præcepta exigunt, nullumque errorem vel in diata, vel Chirurgia ac Pharmacia, committant, vulneratus nihilominus decedat, illorum lethalitas arguitur aut dubia confirmatur: sic, si de malo regimine aut eorum alteruter, aut uterque, convineatur, nisi mortalitas evidens plane, seu vulnus in se mortale, extitisse, ex aliis signis & autopsia constet, mortis culpa in hos redundat, & illud eventui huic per accidens tandem occasionem præbuisse dicitur. Ager accusatur, si negligentem aut cervicosum in admittendis ac adhibendis remediis se gesserit, si sex rerum non-naturalium rationem accuratorem non habuerit, aut intempestive seu tardius Chirurgum advocarit. Chirurgus vero seu Medicus Vulneris, in se levioris, periculum ad mortem usque intendit, si non agat, quæ in artis potentia sunt, si v. g. venam minus tempestive secet, hæmorrhagiam vel non, vel intempestive supprimat, sanguinem extravasatum, festucas, fragmenta ossium similiaque exterius immissa non educat, item, animadvertentibus Boerio decis. 323. Farinacio de homicid. quest 427. p. 3. aliisque Iuris Commentatoribus, incantationibus potius, quam remediis naturalibus, sanationis aleam committat &c. Quales tamen ex Percussi & Chirurgi erroribus formatae exceptiones suas limitationes pati ex cap. 1. repetendum. Hoc loco saltem attendendum, quid circa vulneratum plerumque eveniat, qualem hic & Chirurgus circa eundem se gesserint: quo his diligentius inter se collatis demum constet an ex habitudine ipsius plagæ, an aliunde, symptomata prodierint. Interim nec, quod rudiorum ac imperitorum commune alylum est, sufficit, fecisse Chirurgum ac molitum fuisse cuncta, quæ in ipsius potestate erant; sed tunc demum ab omni culpa absolvitur hic, si, quæ in artis potestate sunt, præstiterit. Quatenus Percussiones ejusmodi, ratione suarum circumstantiarum, tales aliquando operationes postulant, quarum nomen ejusmodi Magistri inertix vix norunt, nec instrumentorum congruo-

Chirurgorum imperitia culpa.

rum apparatu instructi sunt, aut illa applicare sciunt. Quibus nihilominus remediis ignoratis aut neglectis ægri, qui ex vulnere haud perirent, imperitiam sui Chirurghi morte luunt, administratis iisdem aliquando a certo interitu vindicantur: cujus inscitiae exempla funesta ac deploranda, v. g. intermissi trepani, neglectæ extractionis fragmentorum calvariae, paracenteseos thoracis &c. a Scriptoribus passim enarrantur & quotidianæ in Germania nostra observationis sunt, modo illa recensere haud puderet.

Applicare non vereor trivialibus nostris Magistris querelam, quam de Hispanis sui temporis plerisque *Arcaus l. a. lib. 1. cap. 3. & lib. 2. c. 5.* jactabat, qui vel nihil aliud norunt, quam quod a suis ejusdem farinae magistris didicerunt, vel, quod miserrimum est, suam quisque libidinem, suum privatum errorem, nullo, neque indocto etiam, auctore, sequuntur: item, qui neque eos, qui (fundamenta artis) intelligunt, interrogandos ducunt, neque doctiores consulere, neque expertos magis adire, & duces sequi, commodum sibi aut honestum arbitrantur. Hinc etiam fit, pergit, ut si gravis aliqua & magni momenti curatio contingat, tamen si nonnihil jam illius cognitionis, vel ex temporis longitudine, vel ex ingenii felicitate, vel alia ratione, sibi pepererint, tamen instrumentorum, aut inventorum, aut inveniendorum, usu, quibus ea res effici possit, careant, cum nulla talia ipsis vel videre, vel cogitare, unquam contigerit. Si quæ vero illis forte sint, neque ea norunt, neque iisdem uti didicerunt. Quotus enim quisque in hac citeriori Hispania est, cui ab aptisti (sive terebellum, sive trepanum, vocare malis) usus notus sit, imo istis plerumque terebrandi officium ut periculosissimum & lethale omnino damnatur, assensentibus fieri non posse, dum trepano utaris, quin ea &c. Nec prudentioribus & conscientiosis adeo iniqua nostrisque chirurgis incongrua videri poterit censura *H. Fabr. ab Aquapendente*, per quam insigniores Veterum operationes nunc obsoletas de thorac. se. et. ait, & quidem inter alia ideo, quia non reperiuntur eximii Chirurghi, sicut deceret, qui calleant anatomem, & tuto nosserint perforare, & id genus omnes operationes tuto moliri, sed formidolosi plerique.

Neque vulneranti favere potest iniqua & inhumana quorundam illatio, quod, quia hæc vel istæ operationes generosiores, provinciis & locis nostris minus usitatæ, aut Chirurghi illarum ignari sint, earum neglectus culpa in hos devolvi haud queat; sed circumstantia hac non obstante, vulnus, ex quo moritur percussus, per se lethiferum appellari debeat: cum nec multitudo errantium & ignorantium, nec illorum tenacitas, qui, juxta *Arcaum*, eandem semper insunt viam, quam prætergredi nullo modo aut posse, aut debere quemquam

quam putant, errori aut incertitæ huic tantum patrociniū parere valeat, quod vulnus penes Chirurgoſ eruditos ac peritos non mortale, in gratiam ſtupidiorum Tonſorum mortale reddat; potiffimum quia non, quid fiat, ſed quid fieri debeat, attendendum eſt, hæcque vel incuria, vel imperitia, noſtrorum Chirurgoſum ille ipſe obex obſervatur, qui ſanioris artiſ & ſalutarium operationum ex hiſ noſtris provinciis Colonias excludit.

Obſervatio.

Aliquot præterierunt anni, cum a Principis vicini Quæſtore ad cadaveris percuſſi inſpectionem ac ſectionem vocarer, ſimul tamen a me Chirurgus illius loci juratus conſilium peteret ratione ſocii vehementius pariter læſi, vitam adhuc miſerrimam agentis. Aquo cum circumſtantias paulo accuratius reſciſcerem ex perforatione calvariæ aliquid ſpei mihi & illi pollicebar, hinc inſtrumenta, huic operationi adæquata, ſimul apportabam, nec ſinē ſucceſſu. Accedens percuſſum ſine omni fere ſenſu ac motu, ultra biduum, niſi convulſivis intercalaribus, & abſque rationis uſu reperi, ex quibus aliisque ſignis, quæ huc referre vix quadrat, incerta illa de Trepano ſpes vires potiores penes me acquirebat, hinc ſectionem cutis præparatoriam (nullum enim vulnus conſpiciebatur) a Chirurgo poſtulabam, quam inter miſeri ejulatus & boatus trepidus & tremebundus ſatis peragebat. Aſt, ubi terebra applicari debebat, imperitiam, quam hætenus egregie celaverat, qui multas clades cruentas ac vulnerum graviorum deligationes atque curationes olim enarraverat, nec trepanum ſe unquam tractaſſe, nec hujus uſum vidiffi, ingenuè & cum ſuſpirio fatebatur: ut aut percuſſum trifti prognoflico relinquere, aut ipſemet Chirurgum agere, coactus manum admoverim, & quem intuitu imperitiæ Tonſoris noſtri incurabilis inſanabilem pronunciare debuiffi læſum, annuente Benedictione Divina, ab orco revocaverim.

Trepanum feliciter admiſtratum.

Atque ex circumſtantiarum harum, tanquam totidem Lethalitatis & Non-Lethalitatis cauſarum, hætenus enarratarum, ponderatione, quibus fundamentis inniti debeant Renunciationes vulnerum ſeu percuſſionum, quæ mors excipit, & quando hæc per ſe, quando per accidens, mortifera enunciare deceat, ſatis ſuperque eluceſcere puto: modo membris ſingulis earumque læſionibus rite applicentur regulæ hæ generaliores, quod in Sectione ſequente annitar. In præſentiarum ex dictis tria formare mihi licet poriſmata, quorum primum ſit: *Inſpectionem vulneris ad judicium ejusmodi rationalis concinnationem neceſſarium ac primum eſſe Inſtrumentum.*

Inſpectio vulneris ad Renunciationem maxime neceſſaria eſt.

ſc. Jurisperitorum plurimi in vulnere mortali ac non mortali diſcernendis nonnullis conjecturis utuntur, quarum priorem ab obituſ tempore petunt,

tunt, mortali obliſſe vulnere præſumentes, qui intra biduum triduumve de-
ceſſerit, quaſi, juxta *Mascardum*, natura ipſa per ſpatium ejusmodi breve eum *Non ſufficit*
ex vulnere mortuum demonſtraret: Alii terminum hunc lethalitatis ad octidu- *Mortis a per-*
um, alii ad decimum tertium uſque diem, alii ad octavum menſem, alii, per *cuſione cele-*
Legem Lombardorum, ad annum uſque, alii longius, ſi nimirum per totum *ritas pro le-*
hoc intervallum ſymptomata a vulnere indies ad mortem uſque ingraveſcant, *thalitate infe-*
extendunt, v. g. idem *Mascardus & Gomeſius*, & quidem poſterior his verbis: *renda.*
Si poſt vulnus illatum in continenti deceſſerit vulneratus præſumitur ex vulnere
& ejus occasione deceſſiſſe; ſi vero probetur, pergit, quod poſt vulnus illud ſemper
& continuo fuerit infirmus, & tandem deceſſit, ſimiliter præſumatur ex prædicto
vulnere & ejus occasione deceſſiſſe &c. Eo ipſo nihilominus, dum horum Do-
ctorum, quidam latiore, quidam anguſtior, vulneris, quod recens vocant,
terminum concipiunt, imo plerique eorum ad judicium Medicorum inſimul
recurere jubent, v. g. *Mascardus Concluſ. 1039.* alii non attendendum eſſe ajunt,
quanto tempore quis ſupervivat, ſeu quando cunque moriatur, modo alias,
Vulnus mortale eſſe, conſtet: equidem ita probabiliter fatiſ concludere poſ-
ſumus, brevi vel de recenti (ſc. vel mox, vel intra paucas horas) poſt illa-
tum vulnus læſus mortuus eſt, E. ex vulnere, ut tali, obiit, aſt ſoli huic illa-
tioni inhære, adeoque cadaver non aperire, periculoſum maxime videtur.
Quamvis enim terminus vitæ brevior & vulnerationem immediate magis ex-
cipiens mors maxime probabiliter, vulneratum non culpa propria aut Chirur-
gi periſſe, innuat; quin tamen v. g. ex diſpoſitione ejusdem ægri morbifica
aut morbo latente, cujus terminus ultimus ſeu lethalis cum percuſſionis mo-
mento coincidat, aut paulo poſt contingat, mors ſub vulnere exili mi-
nusque periculoſo aliquando evenire queat, non eſt, cur adeo præfracte
dubitemus.

Exempli gratia ſuppono, geſtaſſe quendam polypum cordis aliquandiu
in pectore, vulneratur iſ in capite, paucas poſt horas hospes ille peregrinus,
vel ratione magnitudinis & conformationis ſuæ, vel propter fervorem ſan-
guinis ab ira concitatum, ſuffocat, adeoque brevi poſt percuſſionem obit læ-
ſus: quis hunc a vulnere periſſe ideo diceret, quod mors paulo poſt illius il-
lationem contigerit? Nondum biennium eſt, cum in vicinia Vir quidam No- *Obſervatio.*
bilis ac ſtrenuus, ætatis conſiſtentiſ, habitus formoſioris atque athleticæ, ſine
ſymptomatis evidentioribus ſub diætâ accuratiore vivens, uno verbo, cui
ſummam ſenectutem promiſſiſſet quilibet, ad latus uxoris repente occumbe-
ret, cujus ſubitanæ mortis cauſa in cadavere ruptura ſiniſtri cordis ventricu-
li pro-

si prope ostium Aortæ, hincque cruoris ad pectus profusio deprehendebatur. Hunc E. si paucis ab obitu horis leviter fauciarum contigisset, v. g. in ab domine, nonne, solius temporis rationem habens, ex vulnere mortifero decessisse, autumasset? phœnomeni revera exitiosi ignarus, & talis quidem, cujus nulla signa præcedanea comparebant, & quale vix unquam viderunt Professorum oculatæ manus. Quadrat huc Casus, quem ex *Bogdani* literis ad Bartholinum superius transcripsi, Rustici sc. ex pugno pectori inflicto post quatrimum defuncti: Ex cujus circumstantiis cunctis percussione illam causam mortis subitanæ remotam, quæ internam procatarxin moverit, vel concomitantem duntaxat secundum regulas artis pronunciarunt ad deponendum Requisiti.

*Neque mors
tardior sem-
per non lethale
reddit Vul-
nus.*

Multo minus ex temporis a vulnere illato diuturnitate negative deponendum, i. e. vix sequitur, perit demum post nonum, vigesimum aut trigesimum diem aut totidem septimanas vulneratus, E. non vi vulneris occubuit, seu Vulnus hoc per accidens tantum tale quid præstitit: quatenus intercedere ejusmodi nonnunquam valent & solent circumstantiæ dilatrices, quæ mortem certam & inevitabilem dubiam reddunt, prout v. g. superius de punctura quadam Venæ Iliacæ internæ innui, quæ a portiuncula pinguedinis accumbente forsân obturata, ad decimum tertium usque diem superstitem reliquerat fato brevioris termini alias mancipatum. Quemadmodum enim inter reliquos præter vulnera morbos non acuti tantum & quorum tempora breviora sunt, sed chronici quoque infiniti, vere & per se mortales deprehenduntur, nec horum diuturnitas lethalityatem excludit: Ita nulla apparet ratio, cur vulnus tardius interficiens seu chronicum, minus per se enecet, modo conditio vulncris eventui fuerit adæquata, id est, tale hoc extiterit, cui manus Medica nihil medelæ conferre potuerit, actio nihilominus hinc læsa œconomiam vitalem enormiter, quamvis lento satis motu, evertat. Quippe si termini brevitatis mortisve celeritas, ut talis, vix perpetuo lethalityatem per se infert, aut concludere permittit, nisi vulneris conditio respondeat: neque vulnus in lentam mortem abiens ideo salutare dici poterit, ubi ejusmodi circa idem observantur circumstantiæ, quæ illud lethale pronunciant. Imo si ex illis vulneribus, quæ ut plurimum mortifera, quosdam aliquando evadere contingit, hæc nihilominus mortalibus per se adscribuntur: nonne horum aliquod, aliquandiu salutem promittens, post plurimum dierum aut septimanarum decursum fallere atque enecare poterit,

terit, & quidem per naturam ac formalitatem suam intrinsecam? prout superius jamdum indigitatum fuit.

Crebrioris sane numerantur casus, ubi post plures demum dies sanguis extravasatus, pus similiaque heterogenea, per trepanum, a Chirurgo priore neglectum, cum salute ægri, minus sperata, fuerunt educæ, v. g. animadvertente *Sculteto Armament. Chir. obs. 5.* decimo septimo læsionis die, & septimana vigesima nona, juxta *Eundem obs. 13.* item annotante *Lamsverde append. ad Scult. obs. 11.* vigesimo primo & *obs. 48.* trigesimo sexto demum die: quales sane percussos tandem, operatione hac posthabita, certa quamvis lenta, morte perituros fuisse, non est ambigendum, ut vel, aliis missis, *Sculteti obs. 7.* contusio capitis, ob intermissum terebræ usum, centesimo die mortem inferens declarare poterat.

Sunt E, nonnulli, & quidem non tantum *Medici*, sed ex *ICTis* quoque *Farinacius*, qui negotium hoc ita determinare satagunt, quasi, si symptomata plus minus graviora, in continenti a vulnere, aut brevi post, emergentia, ad finem usque perdurent, cognata sibi focia adsciscant, aut in hæc commutentur, pariter ad mortem usque perpetua, lenta etiam mors illud pro causa proxima & efficiente agnoscat, sin vero non mox, sed post aliquot demum dies, compareant, vulnus minus mortale præsumatur. Ast horum regula vix tantæ autoritatis æstimari debet, quin ex vulnere quoque immediate tardius succumbat læsus, cui symptomata non statim in principio enata, modo postmodum exurgentia læsioni fuerint adæquata, v. g. contusioni capitis cephalalgia, vertigo, paralytis, &c. ac vulneris conditio Lethalitem involvat. Ita *Lamsverde obs. 48.* refert, juvenem quendam ex casu contusionem, hinc binas fissuras in dextro syncipite passum, ad trigessimum sextum tamen usque diem ab omnibus symptomatis immunem mansisse, tempore vero hoc elapso febrem, vomitus, convulsionem similiaque huic morbo communia sustinuisse, quæ trepanum tandem mitigavit, ægrumque ad brevem reconvalescentiam præparavit. Quod si vero hæc similiaque remedia fuissent prætermissa, aut etiam, ob situm materiæ peccantis similesve circumstantias, frustra conatu applicata, nonne mortem certam ex ejusmodi percussione sibi augurari potuerit miser vulneratus, tanquam hujus effectum proximum atque immediatum, quamvis tardius evenisset, quod metuisset?

Rectius proin judicant v. g. *Salycetus Boerius*, & *Farinacius*, si alias constet, vulnus, quo læsus periit, extitisse mortale, vulneratum ex vulnere decessisse, præsumi, quandocumque moriatur idem, etiam ex intervallo: id est,

non attendi metam temporis volunt, sed si vulnus ex sua natura fuerit mortale, & vulneratus processerit, ut inquirunt, de malo in pejus, ac tandem mortuus sit, semper illum ex vulnere obiisse, hocque per se lethale, dicendum.

*Neque ad le-
thalitatem
determinan-
dam sufficit
instrumenti
lædenti con-
ditio.*

Alterâ, cui communiter innituntur Jureconsulti, conjectura instru-
menti lædenti est conditio seu habitudo, quam moles æque ac figura ejus
suggerit, utraque diversitate sui vulnus gravius leviusve innuens. Verum
quia & huic circumstantiæ soli innixi pariter in ancipiti relinquimur, quous-
que penetrarint eadem arma, & quam partium internarum tetigerint; fallax
fatis videtur, quam inde petimus, præsumptio: cum a solo manus ictu
seu inflicta alapa contusiones capitis & ἐγκεφάλῳ commotiones deplorandas
aliquando evenisse, præter Practicorum testimonia frequens confirmet expe-
rientia. Simili ratione lapidis fustisve crassioris impetum sustinent sine ulla
commotione quorundam calvariæ tenaces, dum aliorum olla fissilis admo-
dum ab ictu baculi seu ferulæ exilioris in fragmenta secedit; quorum dispa-
rum successuum exempla frequentiora mecum testabuntur multi Medicorum
ac Chirurgorum, imprimis cadaverum ejusmodi sectionibus vacantes.

*Nec sola sym-
ptomata.*

Tertio ex symptomatis insuper gravioribus ac mitioribus de Lethalitate
judicium formant: quam firmum autem hoc sit, ex illis, quæ superius dicta,
suppono, Quam tandem conjecturis his addunt, loci vulnerati & partis læ-
sæ conditionem ac vulneris magnitudinem, pariter prolixius jamdum deli-
neatas ac circumscriptas, sola inspectio Vulneris accuratior manifestat, quod
erat probandum.

*Sed potius par-
tis læsæ condi-
tio sectione in-
duganda.*

*Quæ etiam de-
terminat, an
apparatus
morbosus sub-
fuerit?*

Imo eadem cadaverum per peritos lustratio, quoad reliquas circumstan-
tias, imprimis procatarxin morbosam, in judicio accuratius enunciando,
insigni pollet emolumento. Tales corpori nonnunquam inexistere appara-
tus morbosos, seu partium internarum vitia conformationis & unitatis, quæ
illato vulnere faciunt, ut ex hoc, cui alias haud succumberet, mortuus creda-
tur vulneratus, aut ad minimum ambiguus linquatur Magistratus æque ac Me-
dicus, utri horum morborum in acceptis sit ferendus illius obitus, ex iis, quæ
de infirmitate corporis præcedanea hujusque influxu in mortem cæsi vario
differui, repeto: quibus nihilominus determinandis sola autopsia perspicua-
cissimus deprehenditur judex v. g. an subfuerit vomica pulmonum, aposte-
ma abdominis, horum ruptura, polypus cordis similiaque, a quibus tristem
vix hætenus opinati fuimus eventum, imo interdum vix per somnium cogi-
tassemus; quæ cum plaga tamen de mortis, subitanæ aliquando satis, cau-
salitate certant.

Sed ad alterum nunc Confectarium generale progredior, Cadaveris *Inspectio &* Inspectionis vim atque auctoritatem, in deponendo super lethalitate, non *aperturaca-* parum reprimens: *Sc. operationem hanc in Renunciationibus rite conden-* *daveris non* *sufficit ad de-* *ponendum.* Id quod vel ideo minus paradoxum videri poterat, quod, qui de Lethalitate vulnerum judicare postulantur, huic non tantum innotescere conveniat, quæ pars & quam late quamque profunde fauciata, reliquæque vulnere inhærentes circumstantiæ, sed præterea requiritur, ut de vulnerati ætate, dispositione ante vulnus perpeffum, item de cunctis illis, quæ a momento inflictæ vulneris primo ad mortis usque articulum illi contigerunt, ipsi accuratius constet: sc. qualia fuerint arma, quibus illud infligebatur, v.g. an venenata? qualem coluerit vulneratus diætam? sub qua cœli plaga aut atmosphæra degerit? an Chirurgus & Medici temperative advocati? qualem hi adhibuerint solertiam? quomodo adstantes suofuncti fuerint officio? quoto die expirarit &c? Necessariam harum rerum, quæ extra vulnus sunt, notitiam esse, *Celsus lib. 5. cap. 26.* postquam quæ vulnera lethalia ac non lethalia, quæ facilioris, quæ difficilioris, curationis, per ipsorum membrorum vulneratorum naturam determinaverat, his verbis edisserit. *Quin etiam confert aliquid & ætas & corpus, & vitæ propositum & anni tempus, quia facilius sanescit puer vel adolescens, quam senior; valens, quam infirmus; neque nimis tenuis, neque nimis plenus, quam si alterum ex his est; integri habitus, quam corrupti; exercitatus, quam iners; sobrius & temperans &c.* Vtpote quibus circumstantiis aut ignoratis, aut neglectis, sapius fit, ut Medicus Lethalitem per se & per accidens discernere, uno verbo, de eadem certi quid pronunciare, nequeat: imo Collegia quoque, ob denegatam illarum notitiam, inspectionis seu vulneris historia quamvis transmissa lecta ac relecta sententiam absolutam suspendere aut eousque interdum limitare coguntur, donec pœnam ordinariam subterfugiant occisores.

*Sed quæ circa
vulneratio-
nem & vulne-
raturam conti-
gerunt cir-
cumstantiæ
attendenda.*

Cujus erroris scandalive vitandi causa prudenter agit Magistratus, qui *Chirurgus aut* in vulneribus non tantum periculosus, sed desperatis quoque, Chirurgus *Medicus priori* ordinario, aut prius advocato alterum adhuc, imo Medicum peritum, adjungit, *Chirurgo in* non tantum scil. quo nihil eorum, quæ in artis potestate sunt, intermittatur, *gravioribus* adeoque si decedat vulneratus, vulneranti lethalitatis per accidens exceptio *vulneribus* succidatur; sed, quod præprimis hujus loci, quo, quæ decubitus tempore *jungendus.* successive contigerunt, ab his accuratius animadvertantur, adeoque vel ipsimet homicidii & non-homicidii certiozem probationem suppeditent; vel

ad Inspectionem & Renunciationem requisitos de his circumstantiis, ut testes oculati, admonere & informare queant.

*Inspectio & se-
ctio aliquando
nihil decla-
rant.*

Accedit insuper & hoc, talès aliquando contingere percussiones mortiferas, Capitis v. g. & Præcordiorum, brevi ac non raro in momento enecantes, quæ utut nullam sensibus evidentem post se relinquunt unitatis solutionem seu Lethalitatís notam, minime tamen ideo pro non lethalibus haberi debent, ut superius innui, in sectione vero subsequente specialius comprobare conabor; si nimirum aliæ circumstantiæ ejusmodi ictuum impetum & vim singularem evincant, v. g. Sanguinis & Lymphæ profusio. Neque virulentia ab armis venenatis vulnere affictæ ejusmodi semper habitudinem mihi persuadere possum, quæ sensoria nostra afficiat: sed vel ex notitia, quam de infectione armorum diligentior inquisitio suppeditat, vel ex symptomatis, illam colligere jubemur.

*Doctrinã de
Renunciatio-
nibus vulne-
rum hætenus
imperfecta
fuit.*

Tertium dictorum porisma penes me suppressere mallet, aut ex iis hoc eliciendi facultatem aliis concederem, ne arrogantia cristam tollere, aliisque, qui hoc argumenti genus olim evolvere conati fuerint, aliquid vel autoritatis, vel famæ detrahare viderer: ast eo ipso, dum post *Fortunatum Fidelem & Ambrosium Parcum, Codrincio* quoque, *Sebizio, Svevo, Corbeo &c.* suas lucubrations publico exponere licuit, sic nec horum manes, nisi æquo animo, ferent spero, si demum dixero: *Nec sufficienter, nec pro rei exigentiã hanc de Vulnerum Renunciationibus Doctrinã hætenus fuisse excultã & traditã, proin emendatione indigere.*

*v. g. quoad
nerborum vul-
nera.*

Non gratis me hoc asserere judicabunt sublimioris judicii Ingenia, si attendere iis placeat, quæ mox subnectam. Sc. primo plusquam succincti videntur plerique Scriptorum quoad Nervorum vulnera per se lethalia determinanda, qui error aut defectus Anatomes superiorum temporum imperfectioris soboles est, aut, si mavis, foetus abortivus eorum, qui ultra *Veslingii* Syntagma Anatomicum & *Sennerti* Institutionum Epitomen sapere noluerunt, suisque sapere sub fide Juramenti Hippocratis interdixerunt. Sicut enim alias in pathologia, prout quidem hæc in Scholis hætenus tradebatur, plerorumque morborum causæ tantum aut in humorum exuperantia, defectu & pravitate, aut viscerum obstructionibus atque imbecillitate, hincque vaporum meteorisationibus, fuerunt suppositæ, & vix ullus Doctorum, si *VVillisium* aliosque modernos excipias, generis nervosi per totum corpus dispersi, & an hujus schematis ac distributionis occasione, ramulis nervorum exilioribus læsis ipsum eorum principium seu cerebrum vel alia organa intermedia, in consen-

consensus tristes ac deplorandi interdum eventus rapi queant, rationem habuit: Ita parum aut nihil ex Scriptoribus modo allegatis mihi promittere potui rationalis vulnerum Nervorum lethaliū judicii. Aliquando nihilominus illa per se mortifera existere, asserere haud vereor, illarum videlicet propaginum, quarum, profundius sitarum, vel puncturis, in convulsiones universales & epilepsiam conjicientibus, vel quibusvelæsiōibus enormioribus, quibus organa vitalia, seu cor ac instrumenta pneumatica, activitate sua defraudantur, conveniens haud adhiberi valet medela. *Nervorum quaedam Vulnera lethalia* Suppono enim, nervorum vulnera non adeo prompte coalescere, nec pati summam viscerum horum virialium in œconomia totius conservandæ necessitatem animæ sensitivæ eclipsin seu spirituum animalium irradiationem interceptam diurnam, quin mox tota corruat machina. Quoniam E. ab his motoribus cordis & pulmonum motum, cum vita paribus passibus ambulantem, dependere, ex physiologicis constat: haud sine ratione infero, vulnera nervorum octavi phrenici & intercolis paris frequentius per se lethalia existere. Quamvis enim experientiæ conforme, nervis in habitu ac extremitatibus corporis læsis, i. e. punctis, contusis &c. in iisdem organis, aut toto corpore convulsiones lethales concitari, his tamen plerumque medelam fieri & mortem hinc imminentem declinari, constat: pari nihilominus ratione ac Vasorum sanguiferorum, profundius latentium & quibus ob situs rationem remedia congrua applicare haud licet, lacerationes vulneribus per se lethalibus accensimus, non obstante, quod in artubus eorum hæmorrhagiæ ut plurimum & commode satis refræntentur; ita nec; quod nervis exterioribus fauciatis remedia suppetant, ingruentia aut metuenda eorum symptomata graviora interpellentia ac solventia, de interioribus, v.g. plexibus abdominis, qui auxilia adæquata respuunt, idem nobis polliceri valemus. Et si aliquando ex ejusmodi punctura, in spasmos totius, vel organorum vitalium, conjiciente, quis convalescat, aut dubium manet, an talis vel tanta fuerit nervi læsio, quam oculis usurpare haud licet, aut salutaris ejusmodi eventus rarioribus phœnomenis, seu naturæ monstris, accenseri debet.

Pergerem ad Lymphatica vasa, quo etiam lactea cum receptaculo lumbari & ductu thoracico spectant, de quibus pariter penes hos, qui Vulnerum Lethaliū Examina nobis tradiderunt, altum observatur silentium; quorum nihilominus rupturas seu vulnera ac Chyli atque Lymphæ nutritiæ profusiones aliquando maxime lethales ut pronunciemus, sanior ratio svadet: ast tractatui specialiori forsan doctrina hæc congrue magis refer- *Nihil aut parum hætenus traditum de lethaliitate Vasorum Lymphaticorum & lacteorum.*

vatur; sufficiat in præsentiarum innuere, neminem hactenus iudicium suum illi applicuisse.

*Ex vulnerum
lethalium
classe præter
rationem ha-
bitum quæ-
dam exclusæ.
b. g. Thoracis.*

Alterum in Prædecessorum argumenti hujus scriptis desiderandum est, quod recte equidem supponentes, partium ad vitam immediate magis necessariorum vulnera per se mortalia existere, excluderint nihilominus quasdam ex harum classe, forsitan pari jure cum corde, pulmonibus, cerebro &c. hanc prærogativam actionisque nobilitatem sibi vendicantes, hinc eidem lethaliitati obnoxias. Thoracis ambitus, quem cum pleura costæ, sternum, spina & muscoli intercostales formant, vulnera penetrantia cum costarum fracturis affectibus maxime periculosis a plerisque accensentur, neminem tamen mihi legere contigit, qui hæc aliquando per se lethalia conjecturavit, ideo sc. quod nec ratione actionis, nec usus, compagem hanc ad vitam immediate necessariam concipere poterat ullus eorum, qui in inspiratione pulmones active se habere, putabant, obliti *Galenii* sui dogmatis, passim ab eodem inculcati & a pluribus modernis comprobati, pulmones ad motum thoracis moveri, i. e. ad respirationem passive magis concurrere. Quo concessio ipsis facile constitisset, testudinem hanc osseo carneam membræ vitalibus ac nobilioribus esse annumerandam, hinc vulnera ejus majora, i. e. quæ respirationem insigniter lædunt ac sufflaminant, plus minus mortifera præsumenda: idem olim jamdum annotante eodem *Pergameno b. de usu part. cap. 3.* dum a magnis vulneribus, alterutram thoracis partem seu ventrem penetrantibus, animal repente parte dimidia respiratione privari, plane autem respiratione destitui asserit, si pars ejus utraque fuerit confossa. Quæ tristis hujus eventus causa intermedia sit, ex Physiologicis commode deceditur, sive Cartesianam & Svammerdamianam, de aeris ab explicato thorace in pulmones impulsione, sive *Illustris Boylii* hypothesein, de pondere ac elasticitate ejus, admittamus: quia tamen non Tyronibus, ad quos materia hæc non spectat, sed veteranis magis Artis Cultoribus, hæc trutinanda propono, speculationibus his chartam confumere nolo.

*Item fracturæ
costarum.*

Par ratio videtur fracturæ costarum non unius, sed Plurium, aut sterni simul, integro quamvis manente integumento cutaneo ac musculis quoque substratis minus læsis: utpote qua ratione extensio ac constrictio pectoris respiratoria insigniter turbatur, sicque impressio illa vitalis, quam ab aere ambiente fluidum sanguinis recipit & expectat, brevi & perinde, ac si fauces laqueo constringantur aut quovis modo obturentur, cessat. Bina ejusmodi exempla in praxi annotavi, fracturarum sc. costarum, brevi interficientium, utraque

quidem in senioribus subjectis, & viris decrepitæ ætatis, percussionibus nihilominus per se lethalius adscripta. Nempe Anno 1679, mense Februarii alter horum a fratre (ut aiebant hæreditatis maturandæ causa) cum tanto impetu sternebatur, ut durius allidens scamno latus dextrum intra nycthemerum suffocatus occumberet: nihil tamen violentiæ præter fuggillationem partium externarum, quam costas nothas tres superiores ac verarum duas inferiores transversim fractas reperi. Pariter 1609 mensis Maji die sexto, a *Alia* Magistratu requisitus secui cadaver hominis, qui currus onusti rotis subactus post paucas horas sub maximis angustis expiraverat: offendi autem in hoc lateris sinistri costas novem & dextri duas superiores con fractas, sextam, septimam vero & octavâ ejusdem lateris luxatas; quamvis nonnullorum vasorum intercostalium arteriæ mammariæ sinistra rupturas, sanguisque ad cavum thoracis extravasationem in hoc misero accelerasse non dubitarim.

Simile quid de spinalis medullæ parte inferiore, sc. intra vertebra thoracis ac lumborum, fauciata communiter v. g. *Forestus lib. 6. obs. chir. 4.* & *Fallopium de vuln. in genere cap. 4.* asserunt, quasi nec nervorum hujus diramationum, nec fluidi horum cerebralis, visceribus abdominis inferendi, tanta foret necessitas, ut hujus influxu intercepto actiones vitales inhibeantur, quamvis viscera hæc sensu & motu priventur. Verum quemadmodum *Hippocrates s. 3. Coac. 387.* & *Celsus lib. 5. cap. 26.* caudicis hujus medullaris vulnera, sine illius superioris partis ab inferiore discretione, mortalibus accensent: sic rariora forsân numerare continget exempla eorum, qui ex thoracis & lumborum medullæ plagis enormioribus reconvaluerunt; & quas harum *Fallopium* sanatas perhibet, forsân non adeo magnæ fuerunt, ut vel illius verba inuunt. Si propriam denuo allegare licet experientiam, Anno 1683, die 30. Aprilis in agro vicino, globulo sclopeto minore eliso, Centurioni cuidam Cæsareo perforabatur intra secundam ac tertiam lumborum vertebra, spina dorsi, simulque funis medullaris medietas sinistra, ita tamen, ut nec dextra omnino intacta maneret, unde præter dolores atrocissimos mox febris continua, cum delirio & convulsionibus subinde intercurrentibus, sudor algidus, scœcum ac urinæ suppressio, distensio abdominis & præcordiorum angustia summæ oriebantur sinemque vitæ die 8. Maji imponebant. Quod vulnus unius ejusdemque generis cum illo mihi videbatur, quod *Tulpius l. 3. obs. 27.* describit, utut locum ictus in spina non determinet hic: sub intercostalium nihilominus nervorum exortu illud auguror, quod alvi ac vesicæ excretiones impeditas hinc-

*Observatio,**Item spinalis medullæ partis inferioris vulnera.**Observatio.*

hincque tensionem abdominis prima & potissima illius symptomata referat. Quæ quidem, si vulnere medela fieri nequeat, v. g. in hoc subjecto, cui vivo æque ac mortuo adstiti, propter globulum & fragmenta spinæ nulla arte extrahenda & sub sectione demum comparentia, Lethalitati inferendæ capacia videntur: quod secretionibus & excretionibus his sublatis massa sanguinea heterogeneitatibus ipsi haud proportionatis gravetur, viscera cuncta ac genus vasorum a sero restagnante inundentur ac tandem his & abdomine præter modum tensis suffocetur vulneratus. Imo perinde ac ex nervo particulari, in extremitate artuum lacerato frequentius in consensum rapitur cerebrum, hincque in lethales convulsiones totum conijcitur corpus: quid mirum, si a trunco quasi hoc nervorum, cui rarius medela fieri potest, læso idem contingat?

Tertio disquisitioni sobriæ vix unquam expositum legimus, quid de Percussionum plurium simul factarum, singularum equidem minus lethalium, syndrome censendum sit, si ex tali moriatur percussus? numne sc. hæc Lethalitatem inferat? Vbi sane affirmativa probabilis satis videtur, ideo quod plurium membrorum contusiones, lacerationes aut vulnera multos dolores inflammationes & spasmos patrent, adeoque sanguinis & spirituum motum hinc inde enormius turbent, v. g. contundatur Musculus temporalis, Inguina cum Peritoneo, lacerentur Membrana Cerebri &c. Quinimo sæviores suffigationes ac flagellationes, quibusvis durioribus instrumentis, in partibus externis ad suggillationem usque factas, quamvis vasa interna haud lacerarint, interficere, experientia constat: si imprimis Percussus infirmior ac valetudinis causariæ fuerit, v. g. phthisicus, hecticus, anhelosus, lipothymiis facile expositus, febricitans &c. nihil interim erroris vela Percussio, vel Chirurgo, commissum & graviora mox symptomata secuta, fuerint. Quatenus nempe hinc factæ suggillationes circulationem sanguinis vitalem atque spirituum maximopere interpellant.

Lethalia vulnera dicebantur, quæ minus talia?

Imo partis, quæ corpori humano non inexistit.

Denique pro argumenti exigentia doctrinam hanc olim haud fuisse traditam, hinc evincere possem, quod aliquando vulnera minus lethalia per se lethalibus adscriperint, v. g. vesica fundi vulnera cuncta, contra revera lethalia minus talia proclamarint, v. g. Lienis, substantiam hujus visceris tantum, non vasa ejus majora, afficientia: quem utrumque errorem, similesque plures, minus pariter accurata situs, connexionis atque texturæ organorum peperit lustratio. Imo tandem eousque crevit quorundam Spirituum narcosis, ut organi haud existentis vulnera inter simpliciter lethalia redegerint, Retis sc.

mirabi-

mirabilis, vere mirabilis, quippe in Anatomicorum ejusmodi mirabili cerebro ficti potius, quam ejus basi subtenſi. Cenſuræ hujus fundamentum ex Modernorum Anatomicorum conſenſu prolixè exponerem, niſi illis ingeniis cuncta, quæ nova, ſordeſcere noſſem: forſan proin tolerabilior ipſis erit virgula cenſoria *Jacobi Berengarii Carpenſis*, ante ſeſquiſeculum Anatomenc Chirurgiam docentis, qui in *Iſagoge in Anatom. Corpor. hum.* ubi *Experientiam ſenſuatem ſibi Aurigam* ait, *iſtud Rete ego nunquam vidi*, ingenuè fatetur, fatua ejusmodi inſomnia ſe ſucceſſoribus diſcuſſurum ſperans, Proh! fruſtra. Aſt ne ulli in recensendis pluribus hujus generis ſolœciſmis anatomico-pathologicis moleſtiam creem, hæc pro firmando poſteriore hoc Corollario & pro parte hujus materiæ generali evolvenda nunc ſufficiant.

Modo illud adhuc adjecero, nullum Medicorum jure culpari, nec penes hunc ignorantix ſparium dici poſſe, multo minus eundem erubeſcere debere, ſi poſt caſus difficilioris enarrationem inconcinnam, aut ubi forſan omnium circumſtantiarum, ad accuratius nihilominus deponendum ſcitu neceſſariorum, notitia minus ſuppetit, Iudicium ſuum detrectet, ſuſpendat, aut dubie vel ſub conditione deponat: approbante circumſpectam hanc modeſtiam *Codronchio meth. teſtiſ. c. 3.* ubi quemlibet Medicum ſententiæ potius Peritorum magis ſe ſubmittere, quam in Caſu minus firmatum frivole ac in alterius præjudicium & Juſtitix violationem decernere, ſuadet. Cui adſtipulatur *F. Fidelis in Concluſ. Operis, de Relat. Medicor.* hoc contextu: *Sed illud etiam* *Sententiam ſuam aliquando ſuſpendere poteſt Medicus deponens.*
ignorandum non eſt, in nonnullas rerum occaſiones Medicum nonnunquam incidere, ut, cum nihil certi de re propoſita conſtet, dubia omnia incertaque referre nos etiam oporteat. Non ſemper enim promptæ ſunt rerum atque affectionum nota: ut propterea in dubia atque ancipiti Medicorum relatione ſatis juſta eſſe poſſit excuſatio. Et perperam agit, qui rationibus concluſidentibus minus ſufficienter inſtructus caſum ancipitem dirimere audeat, i. e. tale quid aſſerere ſibi præſumit, de quo ipſemet dubitat, aut dubitare poterat debebatque. Non adeo diu eſt, cum de vulnere tranſverſali tendinis majoris, qui patellam in crure ſiniſtro obtegit atque firmat, ab inſultu improvido equi inſiſto, deponere me poſtulabat Prætor hujus Civitatis, poſtquam nimirum ab hoc ortus & per Abdominis lateris ejusdem integumenta ad umbilicalem uſque regionem aſcendens Sphacelus, ſimulque Inteſtinorum aliqualis Gangræna vulneratam tertia die occiderat. Lethalis hæc videbatur contuſio, ratione Sphaceli ac Gangrænx, brevi ſupervenientis; aſt minus talis, quod *Exemplum.*

præter Tendinem nominatum nihil laceraverat, & symptomatum alias graviorum expers: hinc malui potius in ambiguo linquere, quam frivole asserere negareve, casus hujus lethalitatem.

Quinimo nec Collegiis de sententia ferenda ambigentibus, & interloquendo, ut ajunt, minus accurate atque confuse a Medico ac Chirurgo observata atque relata technice ac perspicue magis explicari postulantibus, hæsitantia ejusmodi vitio verti debet: Ita tamen, ut defectus momentosos innuant, quibus illos erroris, obscuritatis, præcipitantia &c. convincant, sicque perspicuitati ac veritati eruendæ occasionem præstent. Quamvis Medicis cum cæteris Peritis Leges harumque Interpretes, v. g. *Baldus prim. consit. ff. n. 16. Mascardus conclus. 1069 Gailius obs. 111. atque Pacianus l. 1. cap. 47. num. 25.* in hoc faveant, ut non semper de rei veritate, sed credulitate seu probabilitate etiam tantum, in causis nempe, quæ in sensu minus incurrunt, nec alias certo sciri possunt, deponant, etiam in ejusmodi casibus, ubi Magistratus illorum Relationem jurejurando confirmari postulat.

SECT. II.

DE

RENVNCIATIONE VULNERUM IN SPECIE.

IN quas & quot classes Vulnera seu Læsiones lethales intuitu functionum vitalium dirimi queant, superius dictum: nunc ubi earum singulæ perlustrandæ, his recensendis ordo ille appropriatus esto, quem corporis structura suggerit, adeoque a capite mihi initium petere liceat, hinc ad thoracem & abdomen horumque partium vulnera descensuro.

CAPVT I.

DE CAPITIS VULNERIBVS LETHALIBVS.

*De Capitis
Vulneribus
judicium diffi-
cile.*

SANE si in ulla parte corporis vulnerum lethalium ætiologiam determinare difficile, Capitis & Cerebri percussiones sunt, quæ disparis plane eventus observantur, dum earum graviores aliquando sanantur, ex levioribus vero inter-
terdum

terdum moriuntur percussi, quod utrumque præter Autorum observationes frequentior comprobatur experientia: videnturque capitis vulnera peculiare ac diversum quid a plerisque reliquis alere, ut vel ex ipsorum symptomatis atrocioribus evidens sit, ratione cujus sedula iis non minus in curatione, ac si ferendum fuerit de mortalitate eorum iudicium, adhibenda erit prudentia atque opera.

Phænomeni hujus rationem redditurus *F. Fidelis lib. 4. f. 2. c. 6. i. e.* cur capitis vulnera sua natura nunquam tuta sint? tres imprimis indigitat circumstantias, partis nempe naturam, errandi facilitatem, & curandi difficultatem. Cui equidem per potissima adstipulor, modo ratione partis affectæ (cum ille de integumentorum tantum externorum vulneribus differat) addatur, levissimam etiam cerebri denudationem aliquando mortem præstare, si nimirum ab incongruo aere, qualem sæpius vix discernimus, alteretur hujusque textura tenerrima, hinc mutabilis valde, immutetur. Imo, quæ circumstantia & nocendi ratio non infrequens forsân, ipsius cerebri ingens commotio ejusque tubulorum enormior concussio, complicatio atque contorsio, quam nulla oculorum acies discernit, mortis sub vulnere alias exiti existit causa, ab imprudentioribus vix animadverta.

Quibus addo *Contraffissuras*, de quibus inferius prolixius agetur, item rupturas Vasorum profundius reconditorum, hincque sanguinem ejusdem loci extravasatum, aut cruorem, qui ex vasis etiam elatioribus laceratis ad inferiora descendit, v. g. ad ossis Temporum inferiorem partem, quæ organa auditus asservat: quia nimirum nullo artis instrumento inde educi valet, nisi forsân aliquando Natura inimitabili tendentia ejus excretionem per meatum auditorium præstet. Hujus generis Percussionem Capitis ejusque a Medico atque Chirurgo factam Relationem Anno 1679. d. 23 & 29 Septembr. Collegii Nostri Censuræ exponebat Quæstor Libenverdenfis. Vbi quidam Andreas Pfennig ex ictibus violentioribus altero die mortem obierat, in Calvaria vero ejus dissecta prope Os Petrosam, seu intra hoc & Duram Meningem, aliquid Sanguinis congrumati, forsân per canaliculorum vicinorum rupturam huc depositi, reperiebatur; licet nec in hoc ossè, nec cæteris Calvariæ partibus, ulla fractura comparuerit. Per se nihilominus lethalis hæc extravasatio, ob situs declivitatem, fuit pronunciata,

Equidem enormiores Capitis contusiones præter phænomena externa symptomata diversa sibi familiaria habent, e quibus rupturas ejusmodi intrinsecas dignoscere, non adeo difficile apprehenditur: Sc. si mox ab ictu in humum

prosternantur percussi, sensus cum motu aboleantur, sanguinem per os, nares ac aures illi profundant, oculi inflantur ac inflammentur, vomant, ac remittentibus etiam his symptomatis insequentibus diebus gravitate capitis notabili premantur. Dantur tamen illarum quoque leviores, quæ, quamvis non mox in principio, certe temporis progressu, propter extravasationem quoque cruoris minorem, graviora symptomata patrant, ac præter opinionem eneant, adeoque nec his fidendum.

Vulnera integumentorum capitis exteriorum haud lethalia sunt.

Quia autem ictus capiti illati vel ejus tantum integumenta exteriora afficiunt, cutem sc. cum substratis musculis, vel cranium, vel ἐγκέφαλον: de prioribus notandum, hæc quocunque modo læsa, mortem per se haud inferre, nisi cerebri ingens commotio simileve subsit. De musculi temporalis vulnere equidem vetus est nonnullorum cantilena, ejus contusiones incisionesve grandiores per se lethales existere, ideo quod Hippocrates 3. Coac. prænot. 369. de Vulner. Cap. t. 19. sectionem hujus musculi convulsionem oppositi excipere, ac de articul. t. 27. musculos hos p. n. alteratos ac tenfos febrem continuam & soporem inducere, asseruerit: cujus eventus tristis hanc rationem vulgo reddunt, quod arteria & nervis insignioribus gaudeat. Quamvis potior videatur interior ejusdem structura radiosa, seu ex totidem musculis penaisformibus compositio, cujus intuitu vix in ulla sui parte, exterius carnea visa, lædi potest, quin laceretur unus alterve tendo diversorum musculorum, hujus compagem constituentium: imo nec radiosus simplex, sed biventer & ex duobus quasi compositus observatur, quorum, instar binarum laminarum, sibi instratarum, extremitates tendineæ in medio illius compagis coeunt; ut taceam pericranium, illi superinstratum, aut hinc emanans, cujus læsiones periculi magis plenas testatur experientia, per continuitatem sc. quæ ipsi cum dura matre intercedit. Quibus addendum, quod musculus hic nervos suos a caudicibus, ex Cerebro seu Medulla oblongata, immediate magis emergentibus, hinc brevioris ab eorum exortu distantia, recipiat, binos a tertio & unum a quinto pari: facilius proin hoc sensuum & motus organum cum suis membranis, ad febrem usque, delirium, paralyfin, convulsiones &c. in consensum rapiat.

Nec vulnera musculi temporalis.

Ast eo ipso, dum Hippocrates ex Musculi Crotaphitis plagis non convulsionem universalem, sed particularem tantum, oppositi nempe ejusdem nominis musculi, & ex illius, per maxillæ luxationem, tensione soporem febremque continuam, quibus nihilominus tempestiva ossis translocati restoratione mederi licet, hinc symptomata per se lethalia ex læsionibus ejusmodi evenire,

evenire, minime asserit; neque ulla pars huic musculo præ reliquis peculiaris, id est, cui laceratæ non adæquata remedia suppetant, contigit: traditionem hanc mirari seu ridere potius, quam refutare, congruum mihi videtur, & quæ contusiones ac vulnera ejusmodi excipit, mortem ex accidente saltem aut propter alias læsiones coincidentes, supervenire, puto.

Stant a partibus meis infiniti medici ac Chirurghi, qui hunc musculum partim casu enormiter vulneratum, partim manu provida Chirurghi incisum, feliciter coaluisse perhibent, quorum pauciores allegare impræsentiarum sufficit: Prioris nempe classis *Pavvium in Hippocrat. de Vuln. cap. p. 147. Fontanum. in epit. Vesal. p. 14. Scultetum arm. chir. obs. 3. Glandorpium Specul. Chir. obs. 11. & 12. Volcherum Coiter. obs. anat. chir. p. 11. Cattierium obs. 9. & Wiefeman of Wounds cap. 9. posterioris vero, i. e. sectionem chirurgicam ejusdem musculi in casu necessitatis haud omnimode declinantis, sed cum salute ægrorum factam perhibentis, Fontanum l. a. part. 3. Borellum cent. 2. obs. 20. Pavvium l. a. p. 176. Riverium obs. a Fomio commun. 19. & ab Aimar commun. 4. Marchettum obs. chir. 15. Job. van Meekren obs. chir. cap. 1. Cornelium van de Voorde Lichtende Fackel der Chirurgie p. 476. & hujus Scholiasten. l. a. item Wiefeman l. a. Quibus propriam experientiam jungo, per quam olim *Lugduni Gallorum* in Nosocomio, quod l' *Hofstel de Dieu* vocant, in puero 10. circiter annorum dextrum musculum temporalem casu ab alto ita contusum atque laceratum fuisse recordor, ut superveniente suppuratione os subjacens hinc inde nudum plane, imo in hoc sub illius latere postico fissuram cernere contigerit, cujus persequendæ causa ejus insignem fatis fibrarum lateralium fasciculum incidere cogeatur Chirurgus; qui nihilominus post delirium, febrem & convulsiones exantlatas sanitati pristinæ restituebatur. Item militem consistentis ætatis, cujus sinister Crotaphites obliquo vulnere versus genam usque securi discissus erat, paucis tantum fibrarum in medii profundo intactis fasciculis, quique præter illius antagonistæ convulsionem hæmorrhagiam insignem & febrem aliquot dierum, nihil symptomatis patiebatur, paucarum septimanarum cura ad cicatricis usque cutanæ inductionem sanatum eodem in loco relinquebam. Imo provocare possem ad Acta Publica Questuræ Sekeudicensis vicinæ, a cujus Præfecto Anno 1679. d. 7. Julii ut de fœmina quadam, uxore civis nostratis, in pago, *Schönau* dicto, vehementius vulnerata, deponerem, postulabar: in qua præter vulnus brachii dextri & manus sinistræ plagam capitis observabam; spithamam circiter longitudine æquantem, i. e. ab occipitio per temporum sinistrum & frontem ad nasum usque vergentem, simulque musculum tempora-*

Exempla Vulnerum muscul. temporalium salutarium.

Observatio.

Alia.

Alia.

lem ac ejus vasa enormiter, calvariam quoque & meninges cum cerebro, cujus etiam aliqua portio excernebatur, in occipitio non leviter incisa, deprehendi, cum aphoniam sensuumque fere omnium per biduum ablatione, febre tamen non adeo magna: quæ nihilominus misera in hanc urbem & ad suos delata intra aliquot septimanas sanata fuit.

Paucis, nisi vel calvariæ Fractura, vel cerebri commotio & vasorum ruptura plagæ aut contusioni Musculi temporalis conbidentur, hæc mortem vix unquam inferunt. Cujus limitationis intuitu nec adeo paradoxa videri poterat *Anton. de Heide observ. medic. 20*: dum musculus Temporalis forma crucis incisus in cane equidem concitabat Hæmorrhagiam profusam; brevi tamen inhibitam, qui sine ullis gravioribus alias symptomatis brevi convalescebat; sine dubio, quod vulnus hoc simplex omnino extiterit, nullaque contusione concussioneve cerebri stipatum.

Calvaria fractura per se haud lethales.

Porro Calvariæ Fracturæ in se nunquam mortem inferunt, sed propter adjuncta tantum, sine quibus tamen rarius contingunt vel contingere valent, sc. commotionem cerebri insigniorem, vasorum interiorum rupturas, fragmenta membranarum ac cerebro infixæ, aut hujus compressionem atque lacerationem: Proin si funestus iis superveniat eventus, ejus ætiologia ab una alterave harum similiumque circumstantiarum erit petenda. Neque omnis vasorum intra calvariam Ruptura & sanguinis Profusio, calvariæ depressio cerebri compressio & Vulnus ac a fragmentis punctura mortem infert: sed fracturæ conditio demum diversa ejusmodi pathemata horumque circumstantias modo per se, modo per accedens tantum, lethalia reddit; illud quidem si ratione fracturæ adjunctis his congrua medela fieri nequeat, hoc, si eandem admittant. Commotio vero cerebri mortis causa quando & quando non, judicari debeat, inferius declarabo.

Fractura cranii aliquando mortales evadunt, vel quod non dignoscantur.

Chirurgia E. illorum, quia in eo consistit, ut vel læsionibus internis admoveantur remedia adæquata, vel educantur ac removeantur heterogenea, symptomatis lethalibus occasione existentia, nempe calvaria depressa, festuca pungens & sanguis atque sanies comprimentia & putrescentia: ante omnia hic mihi ex superioribus repetere concedatur illud *Hippocratis* effatum, Medicum, qui sufficit ad cognoscendum, sufficere quoque ad sanandum; & per consequens fracturas calvariæ, quas vel ratione exilitatis summæ, vel ut contrassuras, dignoscere haud licebat, solerti quamvis adhibita indagatone, si enarratarum circumstantiarum graviorum aliquam cum pravis & pertinacibus symptomatis sibi combinatam gerant, mortifera per se præsumerem, utpote

pote quibus non perspectis, aut vix dignoscibilibus, nec medicina applicari poterat. Deinde, utut satis manifesta sit fractura, i. e. quam oculus aut specilli contactus dijudicet, eo ipso nihilominus, dum ratione situs similiumque circumstantiarum, de quibus successive in sequentibus differendi dabitur occasio, intrinsicus latentibus congrua remedia denegantur, etiam hoc nomine fracturæ aliquando mortiferæ evadunt, v. g. si sanguis extravasatus sub meningibus & interioribus ἐγκεφάλῳ recessibus hæreat.

Se. posthabitis fracturarum enarrationibus, quas alii cum Hippocrate *Fracturarum* sub quinario, alii cum Paulo sub senario, numero complectuntur, sub ea *calvaria species.* disparitate mihi hoc loco illas concipio, ut ala sit Fissura, alia effractura seu depressio, alia Contusio seu collisio, alia Sedes, aliaque Contrafissura: hinc in earum mortalitate evolventa ita procedo.

Fissura quia vel evidens, vel cœca seu abstrusa magis, illa vix unquam *Fissura cranii* lethalis est, quod vel immittendis medicamentis ac educendis molestiis satis *qualis per se* pateat, vel quod, si per angustiam suam operas necessarias haud admittat, de *lethalis.* sui dilatatione nihilominus Chirurgum admoneat: adeoque si inde moriatur percussus, ex accidente tantum talis dici debet. Ast de Cœca seu Capillari si constet, omnem prudentiam indagatricem ipsi fuisse adhibitam, hanc tamen nullo modo conjecturarilicuisse, v. g. si verenda mox in principio haud emergant symptomata, subitanea tamen aut lenta etiam aliquatenus morte & præter expectationem succumbat æger, hanc, si aliqua mortis causa, etiam si talis, quæ alias commode satis sublata & educata fuisset, sub calvaria sectione reperitur, lethalem enunciarer, quod malo haud perspecto aut minus perspicuo non valuerit fieri medicina. Paradoxum hoc assertum videbitur pluribus, imo ejus contrarium in Collegiis non raro renunciari novi, ideo quod fissura in se nihil lethalitatis involvat, sanguis extravasatus ac sanies tempestive satis educi queat, terminus mortis interdum satis longus, v. g. in casu sequente: ast difficultatem dignotionis probe ponderantes, hanc summam, difficilem quoque omnimode, curam, inviti post hac fatebuntur, ac in accusando magis chirurgo, quam vulneratore, haud adeo præcipites se dabunt.

Comprobant hoc Observationes frequentiores. v. g. penes Pav. in *Hippocr. de vuln. cap. p. 82.* qui refert, quendam a compotatore in Bregmatis os dextrum poculo stanneo percussum, hujus tamen integumentis mollioribus apertis nihil fissi in Olla repertum fuisse, ægrum pancreaticæ se habuisse & obambulasse: donec post decimum mensem inter ambulandum vertigine correptus

reptus conciderit & brevi post expirarit, apertoque Cranio in ictus loco os plane putridum foetidumque cum Meninge comparuerit; ideo sc. quod ab insensibilibus staminum, seu fibrillarum ossearum, tabularum calvariae medullium intercurrentium, contusionibus lacerata fuerint vasa illi intertexta, quorum Cruor extillans Os in inflammationem, hocque Meninges & Cerebrum in consensum lethalem, abripuerit cui similem Historiam *Valleriola* in *Comment. in Hipp. de vuln. cap. ad c. 15.* suppeditat. Ejusdem forte generis dicenda erit occulta illa Rima, quam *Tulpius Obs. 1. c. 2.* describit, & ex qua, omnibus remediis irritis periit sexta die Vulneratus: cujus Cranium, tam vivi, quam cadaveris, dissectum foris illæsum plane deprehendebatur, intus nihilominus fissuras, una cum sanguine, ad basin Cerebri deposito, & Cerebello syderato ostendens. Sane Tabulam Calvariae externam ictui illato minus cedere, siudi nihilominus plus minus internam, hinc inde experimur, qualis læsionis species lethalityatem plerumque pèdissequam habet, si non ob aliam causam, certe vasa lacerata, hincque sanguinis ad interiora profusionem. Ita v.g. *Fallopium in Hipp. de vuln. cap. 13.* perhibet, se in Nobilis cujusdam Studiosi Occipitio percussio (raso etiam) nullam equidem vidisse fissuram, donec Lamina superiore penitus abrasa inferior largam satis stiterit. Simile quid de Sutore quodam Parisiense, lapide percusso *Anonymus ille Gallus*, cujus aliquoties jamdum memini, *L'art de faire des Rapports*, narrat, hunc equidem intra quindecim dies sanatum evasisse, postmodum vero duris symptomatis prehensum quinta circiter septimana expirasse: super hujus Dura matre repertam fuisse saniam purulentam, quæ hanc lividam maxime reddiderit, & in Cranii pariete interno visam fissuram cum aliquali hujus erosionem, recta quidem sub loco, qui ictum exceperat, integra Lamina exteriore. *Hic casus* inquit *Berengarius de fract. cran. part. 2. c. 1. inter alios timendus est, quia Medicus cum maxima difficultate potest judicare illam speciem læsionis maxime sensu, sed judicio tantum præsumptivo judicabit, visis accidentibus, quæ sequuntur ad talem speciem & c.* Quæ tamen pariter aut non mox eveniunt, aut fallunt.

Minoris E. periculi erit fractura latior & patula magis præ ærdiore, atque inepte argumentantur ab illis frequentius sanatis adminores, capillares ac minus sensibiles; cum hæ plures perimant, ob rationes indigitatas, sanguinis imprimis ad *ἐγκέφαλον* profusionem; illarum enormiores quoque feliciter curari, experientia crebrior comprobet. *Etenim etsi rima sit tam angusta,* inquit *Ægineta*, *ut sensum exiguitate fallat, tamen pluribus mortis causa fuit:* quanquam non tam ob rimam ipsam, quam ob sanguinem supra interiora

Calvariæ profusum, tale quid eveniat. Ad quos latentes fissuras quoque referendæ, quæ in Ossibus Calvariæ profundioribus v. g. Ossium Tempororum inferiore parte, Osse Sphenoide, Orbitalium Oculorum &c. eveniunt, sub basi Cerebri latitantes, hinc nulla oculorum mentisve acie comprehensibiles, & læsionibus Capitis per se lethalibus annumerandæ. Non quidem in se, sed quatenus vasa sanguifera rumpunt, aut sub iisdem testæ aut fragmenta secedunt, membranas cerebrumque pungentes ac vellicantes: qualia educere, nulli arti conceditur, exitium nihilominus ægro parant.

In specie si fissura in ipsam inciderit suturam, difficillimum eam dignosci, Hipp. de Vuln. capit. 16. tradit, *Fallunt enim, inquit, & mentem & visum Medici hæc suturæ, fissuræ speciem referentes & reliquo osse asperiores existentes, nisi vehementer dissectæ fuerint ac dissolutæ.* Seu secundum Fallopium in Hippocr. de vulner. cap. c. 19. quoniam asperitas specillo deprehensa non indicare facit Vulnus suturæ, & ambigui recedimus ab exploratione facta: num illa naturalis, i. e. Sutura propria, num præternaturalis, seu a percussione superinducta: *Credimus, pergit Fallopius, enim suturam tangere, & erit vulnus, & econtra, Oculus etiam decipitur, qui videbit suturam, & credet os esse fractum;* nisi forsitan suturæ ipsæ rimam patiantur latiore, seu hiatus manifestum, quem dissolutionis nomine Hippocrates innuit, dehiscenciam forte commodius dicere liceret. Per consequens si nec oculus, nec ratio, his vitiis detegendis, semper adæquata, quid mirum, mortem, quæ ejusmodi fissuras insequitur, ex conditione vulneris, non imperitia Chirurghi, obvenisse dicamus, i. e. has, quod iis mederi haud licuerit, per se lethales asseramus. Cunctos vero Medicos mihi adstipulantes promitto, fissuram, qua interaneorum læsorum remedia excluduntur, aut heterogeneitatibus ad mortem usque molestis exitus denegatur, semper lethalem esse: quod quibus modis evenire queat, inferius tradetur.

Alias vero etiam aliquando evenire solet, quod ter sibi in Praxi visum Berengarius Carpensis l. a. part. 1. tradit, partem Cranii, a re obtusiorē percussam, partem ossis sibi oppositam, per suturam tamen sibi connexam, eoque impellere, ut commissura illa intermedia plus minus evidenter aut omnino non solvatur & hiet, huic tamen intertextæ villæ membranæ ac vasa conquassentur ac lacerentur, hinc cum sanguine e vasis ruptis destillante temporis successu putrescant & in pus abeant. Quod, quemadmodum, cute haud lacerata, difficilioris pariter cognitionis, sic difficilioris quoque medelæ est: atque ideo Læsi hujus generis ut plurimum, hinc per se, lethalis erit dicenda.

*Nec sedes le-
thalis.*

Incisio ac punctura alias Sedis nomine venientes in se mortis causa mi-
nime dici debent: quia ut plurimum cum vulnere evidentes satis & in oculos
incurrunt, ideoque patulam viam immittendis remediis & educendis noxiis
concedunt, vel de amplianda illa nos monent.

*Effractura per
se non lethali-
s.*

*Nisi forsan
educi neque-
ant heteroge-
nea;*

Neque Effracturarum talis existit conditio, quin sensibus satis obviam sint
ac cæteris paribus Chirurgiam promptius admittant: nisi quod aliquando
sanguis & sanies una cum fragmentis ossis sui educationem detrectent. Quæ
sanguinis ac saniei evacuationem morentur, paulo post dicetur: de testis vero
seu fragmentis a calvaria secedentibus & vel extremitatibus suis acutis,
quasi spiculis, meninges ac cerebrum pungentibus ac perforantibus, vel
mole sua eadem comprimentibus monendum, utraque ratione hæc exitiosa
valde existere. Quippe sive mole, sive aculeis, in membranas agant, illa
comprimendo, his irritando & in spasmos eas concitando, circulationem
per vasa turbant & graves inflammationes movent; cerebrum vero simul in
sphacelum conjiciunt, spirituum dispensationem inhibent & apoplexiam
provocant. Per consequens si vel fragmenta hæc ita se habeant, ut com-
mode protrahi nequiverint, vel eousque læserint, ut protracta quamvis, effe-
ctus graviores pone se reliquerint: lethales capitis percussiones aliquando
reddere possunt. Priore nempe ratione, si portio ossis avulsa seu fragmen-
tum sub os integrum ita se receperit, ut ubi hæreat, nescius Chirurgus illud
apprehendere & extrahere haud valeat, aut v. g. ad basin cerebri hujusve in-
teriora adeo profunde, aut in similem quendam locum, depositum fuerit, ubi
instrumentorum usus silet, v. g. ex fractura orbitæ oculi, ossis cuneiformis &c.
Imo quamvis commode satis, mediante sive Trepano, sive per ipsam Effractu-
ram patulam, tale officulum protrahatur, adeo ut Symptomata graviora ad
unam alteramve horam remittant, & sensus ad pristinum statum ac vigorem se
denuo recipiant, redeunt tamen illa, paulo post cum impetu: vulnus, propter
ejusdem duriorum impressionem factam, etiam hoc remoto, percussum
interimit, hinc lethale manet.

*Aut enormius
læserint fra-
gmenta.*

*Contusio cra-
nii aliquando
non lethalis;*

Ambigua magis videtur Contusio seu Defessio calvariæ, quia enim ab hac
modo fovea remanet, modo eadem deletur, in priore casu, etiam citra ullius
symptomatis apparitionem Chirurgus metum rupturæ tabulæ internæ ac va-
forum illa incutere & Elevatorii atque Trepani usum commendare poterat.
Quinimo hæc Introcessio Cerebro ac Membranis comprimendo vim infert, seu
motum Sanguinis & spirituum plus minus evidenter turbat, in adultis ut pluri-
mum cum Fractura. Adeoque ex collisione illa, quam cum externæ tabulæ lacu-
na

na, sine ulla accidentium molestia in juvene testatur *Pav. p. 91.* post trimestre eveniens mors Artificis potius securitati & negligentia erat adscribenda. In posteriore nec de eadem constat, nec talem, nisi ex symptomatum vehementia suspicari, aut per cadaveris sectionem judicare, licebit; hinc ejus effectus haud semper attendere, multo minus avertere, poterit sagacissimus, & sine dubio non culpa Chirurghi, sed Aggressoris, perit percussus.

Ex Contraffissura, Oppositione seu Resonitu demum si moriatur idem, cum sanguine extravasato, fragmentorum ad interiora secessu similive circumstantia, non sine ratione me hanc per se lethalibus fracturis accensere, illi annuent, qui in primis artis Principiis evolvendis operam suam aliquando collocarunt. Hos enim ex *Hippocrate de Vuln. capit. t. 9.* non possunt latere hæc verba: *Si os vulneratur alio capitis loco, quam quo ulcus habet homo, quintus hic modus est, quod Infortunium ubi accidit, nulla re juvare valebis: non enim scire potes, ubinam malum hæreat, imo num eger vulneratus sit, aut quam capitis parte, etiamsi maxime queras, certior fies.* Hinc *Pavv. p. 106.* vere infelices ac infortunatos ejusmodi percussos proclamat, qui nec ipsi sciunt, an, & quo loco llesi sint, nec Medicus ac Chirurgus hac de re certior fieri potest, nisi cum jam conclamatum est. Et *Pareus 9. c. 8.* ait, cum nullo certo signo hoc Fracturæ genus dignosci valeat, si quando ex tali mors consecuta fuerit, venia dignum censendum esse Chirurgum.

An ejusmodi Contraffissuræ dentur, seu unquam existant, prolixè equidem disceptare novi Doctores æque, ac Practicos, ut cernere est penes *Fallopium in Hippocr. de vuln. capit. c. 14.* *Berengarium part. 2. c. 2.* *Iob. Baptist. Cortes. in Hipp. de vuln. cap. part. 2. t. 2. A. a Cruce Chir. 1. 2. cap. 1.* *Pareum 1. 9. c. 8.* *Sennertum pr. 1. c. part. 1. c. 23.* *Diemerbroeck. anat. l. 11. c. 4.* *John. Brown of Wounds c. 33.* & *Anton de Heide annotat. in Cornel. van de Voord Fackel der Chir..* horum aliis illas asserentibus, aliis negantibus: inter quorum illos reperio *Pareum, L. 4.* *Nicol. Florentinum Serm. 7. sum. 2. tr. 4. c. 1. a Cruce, Pavium anat. succent. Losf. 1. obs. 1.* Quibus sane obstrepere nefas, multo minus Berengario subscribendum, quando illos, qui ἀπίχνημα s. ἀπίχνημα testantur, purum mendacium dicere frivole clamitat; postquam in linea mox antecedente possibilitatem ejus nihilominus non diffusus fuerit, perdifficilem tantum dixerit. Medicos Chirurgoſve ajunt decipi per hoc, quod contingere queat, aliquem in uno latere lapide, fusti, percussus, sine ullo ictus aut fracturæ vestigio, simul tamen eundem percussus in opposita parte, aut hac percussus in terram cadere, seu parieti allidere &c. ut in hac frangatur Calvaria, quod

a priori percussione evenisse, imprimis si de posteriore ictu aut allisione minus constet: ut credamus illam partis oppositæ læsionem factam fuisse ab uno ictu, quæ ab alio seu altero fuit facta, v. g. casu in terram. Quod equidem aliquando ita se habere facilis largior, quin tamen interdum etiam ejusmodi Infortunium accidere queat, nihil prohibet. In præsentiarum interim, ne theoriæ præ praxi plus litare videar, neminem adeo difficilem ac obstreperentem mihi in hoc auguror, etsi nulla unquam Contrafissura detur, si modo duabus diversis Capitis partibus inferantur ictus, quorum unius inflictio aut inflictionis locus ex quacunque occasione nos lateat, etiam hunc per dignotionis difficultatem incurabilem præstiturum fracturam hinc factam, eamque per consequens ideo per se lethalem.

Celsus equidem *lib. 8. cap. 4.* modum eam dignoscendi suggerit hunc, ut si quis graviter vapulet & mala subsequantur symptomata, neque in parte, qua cutis discissa est, rima reperiatur, in parte altera investigetur, num quis locus mollior sit & tumeat, hincque aperiatur: imo alii alia his addunt signa, nempe quod æger manum illi loco frequentius admoveat, &c. Ast cuncta hæc insufficientia ac fallacia satis testatur Chirurgorum multijuga experientia, quatenus non raro in illa quoque cranii parte, in sectione cadaveris, offendimus fissuram, in qua nullus tumor nullaque laxitas cutis conspiciebatur: imo qualis tumor cutisque secessus expectari poterit, si lamina calvariæ interna, externa integra, Resonitum fuerit passa, aut orbitæ oculi, sub musculo temporali, ossi cuneiformi similibusque locis, cuti non immediate contiguus, ejusmodi Infortunium imprimatur? qualia phænomena autopsia non raro suggerit. Vnicum horum exemplum recensere lubet. Requisitus Anno 1669. Septembr. Taucham, Oppidulum vicinum, ut cadaver Christiani Voigtii, ex ictu fustis defuncti, aperirem, in fronte hujus prope & circa supercilium dextrum suggillationem sine vulnere, nihil vero in osse substrato fissuræ, contusionis &c. ast sub prora cerebri in orbita ejusdem oculi dextri contrafissuram sesquipollicaris longitudinis, ad sellam turcicam abeuntem, hinc eodem in loco, duram matrem ruptam, offendi, offenditque mecum Chirurgus, qui laboris impatiens hanc intempestive abrumpere maluisset. Ægrorum delirantium ac sub torpore, i. e. sine sensu & motu decumbentium, manus, caput hinc inde contrestans, aut nulla, aut minus fida, index est. Præterea non in parte percussione semper opposita, sed in vicina quoque aliquando Contrafissura fit, imo in eadem sc. ut modo dictum, non lamina externa, quæ ictum excepit, sed interna, fissa, ut vel ex *Fallopio in Hippocr. de Vuln. cap. 14. Pareo lib. 9.*

lib. 9. c. 8. Pavv. p. 108. Tulpio lib. 1. obs. 2. & Sculteto-Obs. 14. patet. Imo nonne evenire potest, sicut Inspektiones cadaverum edocent, ut in parte percussa excitetur fissura, patiatur nihilominus contrafissuram alia quædam remotior, de qua, quia illa evidens, nec somnare quis poterat? Et certe, *si quis non, nisi mera fretus suspicione, inquit Pavvius, hanc illamve capitis partem explorandi causa fecerit, nihil inibi detrimenti inveniat & ager postmodum moriatur, non poterit crudelis Medici evit are nomen, verum notam tam sibi, quam arti, inuret non eluendam.* Neque tamen contrafissura immediate lethalitatem patrat, sed pariter, ut modo indigitatum, vel ratione sanguinis extravasati, vel fragmentorum insignium, quæ vel aculeis vel mole sua membranæ ac cerebro exitiosa existunt, & quorum neutrum, utpote haud exploratum, protrahi potest: Sanguinem sub contrafissura vix ullus disputabit: alitantum ictus illati ad contrafissuram usque esse potentiam, ut in testas majores minoresve interior calvariæ lamina secedat, mirari, haud tamen omnimode negare, conceditur. Miserum hujus phænomeni exemplum est, quod Pavv. l. a. refert, de Juvene quodam, qui capite pronus in terram conciderat & tertio post casum die obierat: cujus calvaria discissa omnino integra & sine omni læsionis vestigio comparuit, ab interna parte nihilominus evulso fragmento ingente, quod per utramque cerebri partem perque intermediam hujus divisuram se trajecerat. Cui addere convenit, quod Pareus lib. 9. cap. 8. perhibet, cujusdam Nobilis, casside armati, bregmatis lethaliter icti, laminam internam externa integra in multas testas secessisse: imo quotidie tale quid evenire, sectionibus ejusmodi cadaverum vacantes mecum fatebuntur. Per consequens, si aliquando ejusmodi Infortunium tempestive detegatur, huicque æger eripiat, raro contingentibus hoc erit annumerandum, imo paucissima forsitan (si quæ) penes praticos reperimus exempla eorum, quorum contrafissura comparuerit, hæcque cum lethalibus suis adjunctis seu effectibus sublata fuerit.

Contrafissura non immediate sed mediate demum, lethalis existit.

Propero ad interiora Calvariæ, ubi mox de Dura ac Pia meningis vulneribus quæstio exoritur, an hæc inter lethalia referenda? quale quid simpliciter affirmare haud possumus, nisi forsitan intuitu reliquarum circumstantiarum, scilicet rupturæ vasorum, cerebri concussionis aut vulneris insignioris, mors aliquando superveniat. Quemadmodum enim cerebri compages nec levissime vulnerari valet, nisi instrumentum vulnerans hæc ejus involucria penetret, ex læsione nihilominus illa frequentius convalescunt ægri; ita cur sola hæc involucria lacerata mortis causam quis præsumeret, haud apparet. Potissimum

Dura ac Pia Matris Eulnera sunt attingua.

cum Crassam integram, si inter hanc & tenuem sanguis extravasetur, vel pus colligatur, incidere & aperire haud vereantur Chirurghi peritiores, ut velex *Glandorpii Specul. Chir. obs. 4. & Blankart Collect. Med. Phys. cent. 1. obs. 27.* legere poterunt, quibus hoc paradoxum nimis videtur.

Cujus etiam generis videtur Experimentum tentativum *Antonii de Heide*, ab hoc *obs. 19.* delineatum, quo, postquam trepano Canis Calvariā perforaverat, forcipe prope Sinum falciformem aperiebat, eum in finem, ut symptomata, hujusmodi læsionis connexa observaret. Hæmorrhagiam sanguine draconis & linteo carpto brevi sedabat, adeo ut post breve animi deliquium ad se rediret & pane sicco aliisve (licet minus avide) vesceretur, nullis ab hinc aliis gravioribus symptomatis correptus.

Et si lubens fatear, ejusmodi incisiones arte & manu suspenſa factas haud undiquaque æquiparandas esse Lacerationibus ac Rupturis horum Panniculorum, cum impetu seu violentia majore concitatis: dum harum posterioribus combinantur Fractura, Cerebri concussio &c: tensiones quoque ruptoriæ ac ictus impetuosius illati plus doloris præ incisione artificiali parant, hinc spasmis gravioribus totius involucri aliarumque partium occasione existunt. Ne advertam, in parte laterali, vel a fractura Calvariæ remotiore ac profundiore, cui remedia commode administrari nequeunt, laceratas Meninges Lethalitatē ut plurimum consecrariam habere. Sensus delicatioris sunt hæ membranæ, hincq; vulneratæ in Paralyſin ac demum Convulsiones abripiunt partes, ideoq; per se mortales nuncupari valent earum lacerationes, si frustra admota fuerint remedia congrua: & si forſan unum vel alterum a læsione ejusmodi evadere conſtet, aphorismo tamen univèrsali occasionem parare nequeunt, per axioma; *rara non sunt artis.* Urgens interim magis videtur Lethalitas in Vulnerē Piæ matris, quod vasis sanguiferis nullibi non cernatur hæc intertexta, quæ simul rupta multam cruoris profundunt: Cerebrum quoq; Integumento hoc denudatum ab aere ambiente brevi corrumpatur, ejusque dolorifica conſtrictione ad exteriora protrudatur atque elevetur.

Ratione læsionum Duræ Meningi obvenientium adhuc attendi meretur Membranæ hujus textura singularis, qua in superficie sui interna fibrarum crassiorum & tantum non lacertofarum strata bina, se interfecantia, in extima simplex tantum, sistere *Anton. Pacchionus de dura mening c. 1.* edisserit, hæcque pluribus figuris exprimit: Per quam conformationem ac alternativam sui conſtrictionem Cerebrum ejusque vasa comprimât, fluidum a sanguine derivatum in substantiam ejus corticalem & ex hac intra nervorum tubulos medullares exprimat atque propellat,

pellat, ut *cap. 4.* proluxe tradit. Adstipulatur huic theoriæ *G. Baglivius de fibra motric. c. 5.* ubi Duram Matrem maximum humani corporis Elaterem ait, qui perpetua sua oscillatione secretiones fluidorum varie promoveat varieq; dirigat, hinc solidis ac fluidis imperet: vulneratus vero, inflammatus aut quocunque modo læsus convulsiones, deliria, jactationes aliosque motus inordinatos in Cerebro ac partibus inferioribus præstet toti plus minus perniciosos. Quam theoriam etiam si haud per omnia meam faciam, admonitus a *Ridley Anglo*, dum in *tr. de Anatomie Cerebri duræ Matris motum arteriis Cerebri*, cum plerisque Antecessorum, in acceptum refert, postmodum, cum *Baglivii* hypothesein, de motu Duræ meningis proprio & hujus influxu ad cætera organa, intelligeret, singulari experimento, in cane vivo adornato, quod ex *Trans. philosophic Angl.* excerptum in *Act. Erudit. Lips.* Ann. 1705. mens. Maji reperitur, pristinam sententiam vindicare, motumque Cerebri a peculiari hujus Membranæ textura, ab aliis assertum, evertere conatus fuit. Ipsa nihilominus ejus structura, simplici telæ fatis ab similibus, sed sensibiliter lacertosa, & symptomata, ejus statum morbosum comitantia, innuunt, eam machinæ corporis vitali usum non exiguum præstare, adeoque violatam motus hujus generosiores varios vitare. Adeo ut minus paradoxe asserere liceat, violentiores involuci hujus rupturas aliasque unitatis solutiones Convulsionem, Paralysein ac non raro mortem inferre: atque hoc quidem plus minus, quo modo has, modo illas, fibrarum illius series fasciculosve violari contingat. Qualem quidem disparitatem specialius animadvertere non licuit, augurari tamen in genere fecit hoc, quod, tradente *Pacchioxo c. 6.* loci diversitas in dicta membrana, in quo contactus violentiores hæc experitur, cuive hæc vel illa acriora admoventur, majus minusve periculum inferat, v. g. prope falcem, cujus lateribus Glandulas quoque spissius seu copiosius adhærescere, idem Autor de *glandul. duræ matris* assererat.

De Vasorum, Involucris his intertextorum, lacerationibus mox dicitur, in specie quoad sinus duræ matris hic monendum, eorum vulnera, nisi *Sinum duræ matris vulne-* rissima forsitan, propter enormiores sanguinis profusiones, semper lethalia *ra sunt lethalia.* pronunciari debere: sive cranio eoque aperto, ut patulo satis vulnere medicamenta styptica admoveere concedatur, sive eodem clauso, hisque remediis aditu intercluso. Nec in dubium hoc vocabit, qui sanguinis uberrimum confluxum ad receptacula illa, imprimis majora, novit, firmareque idem possem diversis Autorum testimoniis, nisi insequentibus casibus sat fidei adscriberem, Facultatis nostræ censuræ 1669. d. 7. Aprilis & 1678. d. 16. Novembr. expostis.

Observatio.

Item.

tis. Nempe in priore, cuidam furca, aut, ex Occisoris relatione, baculus extremitatis acuminatæ, per orbitam oculi dextri eousque adigebatur, ut processum falcatum in antica parte hujusve sinum duobus foraminulis pertusum & sanguine vacuum, declararet inspectio die tertia ab iclu mortui. In altero, quidam fuste majore percussus repente sine motu & sensu conciderat, & ni fallor, tertio die obierat: in cujus calvaria fractura ingens simulque quartus duræ matris sinus ruptus visus fuit, sanguine nullo sub eadem membrana & intra cerebri anfractus atque cavernas collecto. Quod si tamen cranii fractura latior, dubia ideo videri poterat hæc lethalitas, quod sub hac circumstantia ille sanguinis fluxus mortalis commode fatis compeSCI queat, & quidem præeunte *Marchetto*, qui *obs. med. chir. 4.* vulnere capitis latiori, per medium cerebri, ubi hoc a falce dividitur, usque ad corpus callosum penetranti & sinui falcato cum aliis vasis dissecto, gossypium ustum, bolo armena, sanguine draconis & albumine ovorum imbutum, una cum filamentis aridis intrudendo, hæmorrhagiam enormissimam sistebat. Sed quamvis experimentum hoc Celebris adeo Chirurgi in dubium vocare mihi haud præsumam, ambigo nihilominus, an leviôr & superficialis ejusmodi stypticorum applicatio vasis seu receptaculis tantis, quæ præter sanguinem venosum arteriosum simul excipere, eorum pulsus & manifesta fatis arteriarum insertio persuadet, obturandis sufficiat: quatenus cerebri subjacentis mollities nullam ab altera parte renitentiam compressivam præstat, & in membris externis, nisi simul adplicari queat deligatio congrua, frustraneus est restringentium usus: violentiorem vero & durio rem ejusmodi remediorum infarctum, hinc compressionem potentio rem, cerebrum mollius sine spirituum dispensationis graviore ac lethali læsione, an feret, quod sanguinis extravasati mole, aliquando non adeo ingente, mox gravatur?

Vasorum cerebri vulnera cur lethalia?

Lacerationes ac rupturæ vasorum sanguifluorum reliquorum, sive cerebro, sive membranis, implicatorum, proin Plexus quoque Choroidei, si tales fuerint, per quas enormior ad extra sanguinis contingat profusio, lethales per se censentur: sive apertura calvariæ tanta fuerit per quam styptica applicare liceat, hæc nihilominus tanto malo avertendo vix unquam proportionata sint, ut ex modo dictis suppono; sive situs ac tractus vasis lacerati talia respuat, v. g. arteria illa per fissuram magnam limborum cerebri anteriorum decurrens. Hinc necessario cum sanguine deficiente oscillatio hujus vitalis fatiscit & syncope apoplexia lethalis brevi excipit seu comitatur,

Sin vero idem sanguis extravasatus intra calvariam congeratur, duplex *Dammum san-*
 pariter cerebro inde emergit damnum: alterum ab ejus mole seu pondere, *guinis extra-*
 alterum ab ejusdem corruptione seu putredine. Illa siquidem cerebrum bre- *vasati sub cal-*
 vi ad apoplexiæ concitationem comprimitur; hac vero idem sphaelolum red- *varia.*
 dicitur, ac post deliria, vertiginem ac convulsiones spirituum pariter emanatio-
 nes turbantur: per consequens, si sanguis ille tempestive satis educi nequeat,
 mortis causa vera & proxima dici meretur. Quamvis enim aliquando per na-
 res atque aures idem aliquando sponte, cum percussi salute, rejiciatur: for-
 tuitum tamen satis & solius naturæ potentioris effectus quia hoc est, artis re-
 gulis condendis minus adæquatum videtur; cum pluribus miseris beneficium
 hoc extraordinarium illa denegat, neque toti Hippocratis & Galeni peritiæ
 abstrusas has illique soli reservatas, vias terere ac simile levamen istis adferre
 concedatur.

De sanguine sub cerebro, in hujus substantia, plicis & concamerationi-
 bus, intra hoc ac cerebellum atque circa medullam oblongatam collecto, idem *Non omnis*
 asserunt plures, si non omnes: illum vero, qui intra calvariam & membranam *cruor, inter*
 crassam deponitur, aliquando Trepano educi posse, adeoque lethali- *calvariam &*
 temper patrare, in propatulo est. Quia nihilominus Medici minus cauti & *duram menin-*
 malitiosi occisorum Procuratores Chirurgiam hanc omnibus ejusmodi casi- *gem hærens,*
 bus adæquatam credunt, hinc ejus omissionem inter neglecta & errores, qui- *trepano ego*
 bus per accidens saltem mortalis evadat plaga, referunt: non cuilibet sangui- *cari potest.*
 ni sub calvaria immediate hærenti evacuando hoc remedium sufficere,
 adeoque aliquando grumos illos per se mortem inferre, sequentibus
 declarabo.

Nolo in præsentiarum prolixus esse in explicanda difficultate, quam ali- *Cur trepano*
 quando læsionis locus ad movendæ terebræ parit, dum v. g. ex consensu pluri- *non semper lo-*
 mum Artistarum constat, frontis illi parti, quæ superciliis propinquior eam *cus concedi-*
 applicari haud posse: alia plura insuper, hac superata, sunt quæ operationem *tur.*
 illam prohibent, seu prudenter negligere jubent. Primum horum est sym- *Ob symptoma-*
 ptomatorum mox summa gravitas & mortis hinc evenientis celeritas; ratio- *tum gravita-*
 ne quarum circumstantiarum ingentem simul cerebri fibrarum medullarium *tem & mortis*
 commotionem aut enormiorem sanguinis profusionem subesse concludimus: *celeritatem.*
 quarum hæc sæpe tanta, ut, quamvis aliquid cruoris per foramen modiolò de-
 scriptum prodeat, reliquum illius tamen ejusmodi ponderis aliquando obser-
 vetur, quo cerebrum ad apoplexiam usque comprimatur, aut putredine sua idem
 ad sphaelolum usque lethalem brevi contaminet, quod multum sanguinis bre-

vi educi nequeat. Imo fieri haud potest, quin multus sanguis extravasatus per totum *εγκεφάλος* convexitatem dispergatur, semperque decliviorē vācui partem petat, hinc nullo instrumentorum apparatu evocabilis. Neque obstabit, quod *Berengarius* l. a. cap. 11. *Roonhyfen* *obs. chir.* p. 161. ac 139. *Heide* in *not. ad Corn. van de Voorde nieuwvlichtende Fackel der Chir.* p. 475 ac demum *Anton. Pacchion. de dura mening. fabrica & usu* cap. 3. non in futuris tantum, sed undique crassam meningem calvariae alligari, hincque ejusmodi descensum cruoris fieri haud posse per autopsiam & contra commune dogma tradant; Quippe eo ipso, dum a percussione capitis membrana eadem ab osse plus minus secedit & abrumpitur, via patula & locus conceditur sanguini, ex ruptis vasis profuso, sese latius explicandi & ad latera ac inferiora descendendi. Præterea quamvis non cunctos, quibus cerebrum concutitur, necessario perire, lubens concedo: quod si nihilominus enormior ejusmodi quassatio fuerit, sanguini equidem, ad calvariam profuso, extrahendo trepani usus quadrabit, minime tamen corriget illas cerebri tubulorum interiorum distorsiones aut lacerationes lethales. Neque hac Chirurgia educere licebit sanguinem sub ejusmodi concussionibus ad cerebri interiora rejectum, a quibus nihilominus vehementiora mox in principio symptomata eveniunt, & per consequens in ejusmodi casu, frustranea erit modiolī applicatio. Adeoque ut ut etiam hujus extravasationis illa fuerit conditio, cui Chirurgia hæc in se foret adæquata: eo ipso nihilominus, dum, ut dictum, citius expirat percussus, ac prudens super eandem consilium capere hancque congrue administrare poterat Chirurgus, non hic, sed ipsa læsionis natura, causa mortis dici debet. Accedit, quod rupto majore aut pluribus vasis sanguis equidem extravasatus modiolō evocetur, non tamen impedire queat idem instrumentum, quin illo educto ex rupturis his novus scaturiat, hicque si non cerebrum comprimendo, certe vires dissipando, ægrum, cujus calvaria terebram sustinuit, enecet.

*Aliquando
quod de san-
guine extra-
vasato haud
constat.*

Deinde a Trepano nihil salutis expectandum, hujusque neglectus ex percussione per se lethali vix per accidens tantum lethalem faciet, si signa deficient sanguinis extravasationem alias indicantia: quales quidem casus determinare mihi haud præsumo, binis tamen vel trinis declarare conabor. Si nempe contingat, quendam remotis arbitris, seu nemine videntē, percute, ut sine sensu & motu mutus concidat, uno verbo sine omni phantasia & rationis usu percussus reperiat, nullum vulnus aut tumor simileve, ex quo a violentia quadam externa hæc symptomata lethalia evenisse, suspicari liceat, comparat

reat, hinc nec æger, nec alius quispiam, percussionem innuere possit: talis si sub torpore illo, ex sanguine sub cranio collecto, & alias per trepanationem educibili, moriatur, nonne illa sanguinis profusio per se mortifera erit iudicanda, ideo quod causæ mali haud cognitæ non valuerit, congrua fieri medela?

At ne casus ejusmodi fingere aut somnia alere videar, provoco imprimis ad ingenuorum Medicorum ac Chirurgorum experientiam, quorum sane unus vel alter, si non frequentiora, certe aliqua, sibi aliquando obvenisse exempla testabuntur, per recensitas aut his similes circumstantias difficultati intimatæ obnoxiarum, hinc per se lethalibus adscribendarum, capitis percussio- num: quibus nihilominus, ne ἀσύμφορον plane censear, quid mihi anno 1688. obvenit, adjiciam. Vocabar sc. die 6. Septembris a Præsidi suburbani Governatore, ut secarem cadaver militis gregarii, & de læsionibus ejus deponerem. Sanus hic vespera antecedanea ex hospitio suo ad tabernam cum commilitone prodierat, mane in compito reperitur semimortuus, aphonus sc. sine sensu & motu, deportatur ad suos & post paucas horas satis cedit. Nemi- ni constabat, an a violentia externa, an pathemate causæ intrinsecæ lethalia hæc ipsi contigerant symptomata, nisi quod eo jamdum defuncto socius egregie vulneratus narrabat, quosdam homines ignotos & per viam grassantes se cum socio fustibus similibusque instrumentis invasisse, donec fuga sibi prospiciens ipsemet vulneratus mortuum dereliquerit. Nullum violentiæ ullius externæ in toto hoc cadavere comparebat vestigium, nisi brachium dex- trum maxime suggillatum, hinc de mortis causa proxima incertus primo me- dium & inferiorem ventrem, & cum in his nihil eorum, quæ ominabantur, offenderem, caput quoque aperiebam, nec in hujus cute, sed sub musculo de- mum temporali sinistro effracturam cum sanguine extravasato super dura ma- tre deprehendebam.

Quæro itaque, qua ratione quave arte sanguis sub calvaria extravasatus in hoc subiecto dignosci potuisset, cum, quid ipsi obvenit, nemo deponeret, ne- que ipse vulneratus (secundum consilium Hippocratis l. a. t. 10. & 15.) interro- gari potuerit quid passus sit & quomodo? & per consequens, quid agendum fue- rit? an terebrandum in casu, ubi morbi natura hujusque circumstantiæ latent; demum vero, an artificis culpa occubuerit miser hic? Hærebunt quoad bina priora quæsitæ omnes, postremis negative respondebunt prudentiores. Un- de infero, vel propter has solas circumstantias percussionem illam sua natura extitisse lethalem.

Pariter hujus generis erit sanguis, qui e vasis in loco extra percussionis locum, sive cum, sive sine, contrassura ruptis, emanat ac colligitur: de cujus extravasatione quamvis satis certi simus, eum nihilominus, quia de particulari ipsius situ haud constat, trepano protrahere vix conceditur, concederetur forsân, modo, ubi hæreat, innotesceret. Item, si quis percutiatur baculo exiliore, nulla vero primo aut altero die gravia patiatür symptomata, nec vulnus, aut superficiale tantum, compareat: qua conjecturandi arte fissuram crani lacera- tave vasa sanguinea intelligeret, hinc qua temeritate perforationem crani & educationem sanguinis, sibi ignoti, adornaret, Chirurgus? Quodsi inter- rim moriatur ille ex improvise, uter horum causa mortis? an Læsus? an Chirurgus? an Percussor? Ultimus sane mihi omnium quam suspectus videtur.

*Quod inter
duram ac pi-
am matrem
hæreat.*

Tertio sicut sanguinem, qui intra cerebri plicas & concamerationes, sub eodem, cerebello & sub dura matre hæret, modioli usum detrectare plures mecum convenire superius monui, ita de posteriore, si in capitis ambitu superiore, immediate sub meninge fluctuet, hoc asserere, nimis durum videre poterat illis, qui ex *Glandorpii*, *Blankarti* & *de Heide* observationibus superius allegatis recordantur, aliquando sanguinem purulentum, ad spacium, huic ac tenui intermedium, depositum, incisa priore, cum vulnerati euphoria ac salute, eductum fuisse: quin tamen rupturis ut plurimum, adeoque per se, lethali- bus, ejusmodi casus accenseamus, singularia hæc nihil nos morari debent. Quatenus extravasatus hic sanguis indeve producta sanies non semper adeo sensibili, & ad protuberantiam usque meningis turgescencia seu tendentia, qualem in historiis suis scriptores hi testantur, exitum molitur, hinc artis mi- nisterium poscit: sed probabilius est, illum fluxibilitate & gravitate innata in- feriora potius, quam superiora, capitis petere, adeoque v. g. ad basin cerebri, aut inter hoc & cerebellum se insinuare, unde sane nulla arte elicietur; ut ta- ceam, si in sanie putrilaginosam abierit, quod aliquando derepente fit; ejus congestionem sub involucre hoc sine pia matris & cerebri substantiæ singulari alteratione seu corruptione vix fieri posse.

*Quod dura
matritena-
cius aggluti-
netur.*

Nec ille sanguis, qui immediate sub calvaria, etiam si circa bregmata, col- ligitur, trepano semper cedit, si nimirum *quarto* citius grumescens du- ræ meningi plus minus tenaciter agglutinetur, hânget an so feste als Pech / ut in cadaveribus non, nisi duriore razione; hinc detergatur, & lenta suppuratione seu putredine demum, secernatur, hinc forsân tarde satis per aperturam factam, excernitur, interim cerebri compagi vel mole, vel fra-
sedine

cedine, molestus & œconomiam ejus brevi sufflaminans ac destruens. Quam circumstantiam nihilominus a paucis attendi, proh dolor! quotidiana edocet experientia.

Ipsius denique cerebri ac cerebelli plagas *Hippocrates f. 6. aph. 18. 3. coac. Cerebri & cerebelli substantie vulnera quæ lethalia?* 387. & 1. de morb. 1. 3. mortales ait: quia nihilominus ex harum gravioribus quosdam evadere, præter experientiam frequentem scriptorum fide dignorum monumenta perhibent, quorum quædam in *sektione prima* allegavi, pluraque his addere possem, ex quibus in præsentiarum sufficiat a *Berengario de fract. cran. c. 13.* & a *Volch. Coiter. obs. anat. chir. p. III.* producta exempla, cogitarunt de limitationibus variis Chirurgi, quibus, quousque vulnerum horum lethalitas se extendat, definirent; quamvis vix adeo congruis & phœnomenis quotidie obvenientibus haud adæquatis.

Potissimum vero per discrimen inter Cerebri corticis & medullæ plagas ambiguitatem hanc declinare attentarunt: quasi corticali tegmini illatæ per se mortem minime inferant, semper tamen medullam penitiorum penetrantes. Sed hos, quam inepti sint illi conceptus, docere poterant ex medullaris substantiæ profundiore aliquando laceratione non minus convalescentes, quam e corticalis vulnere succumbentes. Alii inter vulnera ventriculos penetrantia & non penetrantia distinguunt, v. g. *Fernel. 7. pathol. cap. 8.* dum inquit: *Si cerebri quoque substantia offenditur, ut facile fit cum amplificatum, id, (ut plenilunio) omnem calvæ capacitatem implet, mens labat, symptomataque omnia ingravescent, ac sæpe cerebri portio, non citra vitæ perniciem excidit. Ast si altius in cerebri ventriculos vulnus sit insitum, aut si transfossi sunt oculi, repentina mors insequitur.* Verum cum non minus ventriculorum vulnera sanata, ac hos non penetrantia mortem attulisse, multis historiis, quarum nonnullæ *sektione prima* allegatæ, comprobari posset, merito & hæc distinctio phœnomenis cunctis solvendis haud adæquata erit: potissimum cum ex pravo supposito, quasi nempe intra ventriculorum horum concamerationes spiritus animales elaborentur, natales suas trahere videatur. Non is equidem ego sum, qui propter unum alterumve raro contingentium i. e. salutaria aliquando ventriculis cerebri vulnera, hæc e lethalium classe eximam, sed illa per se mortifera utique pronuncio: minime tamen ideo, quod ventriculos penetrarit instrumentum lædens, sed quod magnæ cerebri portionis continuitatem solverit, antequam vacuitates has attingeret idem.

Puto E. in cerebri plagarum lethalitate determinanda hac ratione procedendum esse, salvis tamen aliis sagaciorum judiciis. *Primo sc. respiciendum erit* Circumstantia in lethalitate hæc deterni

cauda atten-
dende.

1) *Magnitudo*
& profundi-
tas Vulneris.

erit ad illarum magnitudinem ac profunditatem, pro quarum diversitate corticis æque ac medullosæ substantiæ vulnera modo mortifera, modo non-mortifera, dici poterunt: prioris generis qualibet majora, posterioris salutaria, cæteris paribus, minora neque adeo profunda. Ita tamen ut medullæ vulnus, intuitu corticalis vulneris minus, mortem nihilominus per se inferat, quatenus instrumentum percutiens ad hanc penetrare nequit, quin corticis totam profunditatem emetiatur, simulque plura vasorum sanguiferorum laceret: item quod ob situs conditionem remedia vel plane non, vel difficulter admodum, eidem applicare concedatur.

2) *Vasa san-*
guifera lace-
rata.

Alteram conditionem formant vasorum majora minorave, plura aut pauciora, discissa seu rupta, per quam corticis æque ac medullæ vulnera uni subjecto exitiosa, alteri secus, existunt: illud sc. si sanguinis ingens copia profusa partem vulneratam cum toto debilitet, aut intra meninges ac cerebrum collecta huic vim inferat. Spectant huc vulnera plexus choroidei, quorum hæmorrhagiam nulla arte compescere licet, Cruor etiam ex hoc profusus recondita magis cerebri, imprimis medullæ oblongatæ principium, comprimendo & secum in putredinem vindicando, lethaliter afficit.

Vulnera capi-
tis ab instru-
mentis secan-
tibus minus
periculosa iis,
quæ a contun-
dentibus.

Hinc factum, ut quidam ex modernis Chirurgis v. g. *Pauv. in Hipp. de Vuln. capit. Wieseman of Wounds & Blankart. in Collectaneis Med. Phys.* vulnera cerebri instrumentis secantibus inflicta, quia ut plurimum cerebrum non adeo graviter commovent seu concutiunt, minus periculosa aut timent his, quæ a casu ab alto, obtusis atque gravioribus telis, lapidibus &c. emergunt: ideo sc. quod hæc majorem in cerebro excitent tremorem ac concussionem, hinc vasorum sanguiferorum rupturam nunquam non comitem habeant. Quam quidem circumstantiam *Tertio* loco iis, qui super lethalitate deponere postulantur, commendo, cum vulnus cum concussionem cerebri vix unquam sine ejusmodi ruptura & sanguinis profusione concipi queat, vel in cadaveribus reperiatur: unde fit, ut illud mox enormiora sustineat symptomata, sensuum nempe ablationem seu torporem insignem, aphoniam, qualia in plagis simplicioribus & acutis magis instrumentis concitatis, non, nisi temporis tractu & ex superveniente putredine ac sphacelo cerebri, eveniunt.

3) *Commotio*
cerebri junctæ.

Quarto sicut ex Anatomicis nunc suppono, corticale cerebri ac cerebelli tegmen instar cribri glandulosi se habere, ex cujus acinis infinitis emanantes totidem fibrulæ seu canaliculi medullares fluidum ibi secretum ad totam machinam hujusque cuncta organa dispensant: ita unam præ altera, tam corticis, quam medullæ, portionem vulneratam mortis causam existere probabi-

babi-

abile fit, illam sc. quæ visceribus nobilioribus & ad vitam vel immediate, vel mediate magis, facientibus, destinata, seu quæ ratione vulneris nervis ejusmodi membrorum spirituum animalium influxum denegat aut intercipit.

Quales equidem cerebri tractus seu areolas nemo Professorum a priori determinare poterit; sed ex symptomatum, vulnerationem ipsam mox excipientium, indole ac vehementia tantum, aut periclitantis vitæ termini brevitate eas, stochasticis fatis rationali, auguramur. Ita v. g. si singultus vulneribus ejusmodi superveniat, radices nervi phrenici, sin palpitatio cordis, syncope & asphyxia, sin dyspnœa, tractus cerebri nervis cardiacis ac pneumonicis dicatos, a vulnere laceratos præfectosve esse, probabile videtur: uno verbo ex symptomatis vitalibus, plagis cerebri, sine concussionem illius, supervenientibus, plus minus lethales has præsumere ac declarare convenit.

Præmonstratorem mihi hoc in passu reperio *Sennertum pr. lib. 5. part. 4. cap. 3.* dum vulnera cerebri, etsi hoc sit pars nobilis, quatenus cerebrum lædunt, minime lethalia existimat, sed quatenus ob eadem cordi & facultati vitali vis infertur, cujus sedes cerebrum non esset, sed facultatis animalis. Hinc ubi prognosis de ejusmodi plagis formanda, distinguere inter symptomata animalia atque vitalia, quam accuratissime monet: judicando ex posterioribus semper casum quam desperatissimum, ex prioribus neutiquam, cum ex vulneribus ejusmodi non raro sensus omnes interni ac externi motusque spontanei enormiter lædantur sine vitæ discrimine; si vero facultas vitalis inde periclitetur, mortem sequi necesse sit, Quemadmodum autem symptomata alia facultati vitali vel immediate, nempe pulsum læsum ac turbatum, respirationem deficientem seu suffocationem, vel mediate magis, v. g. actiones ventriculi & intestinorum depravatas ac interceptas, vim inferre ex *sect. 1.* repeto: ita non minus hæc, ac illa, vires extreme absumentia, mortalia, & vulnus cerebri, quod ea patrat, mortiferum dici debent.

Imo *quinto* non contemnenda aliquando erit circumstantia Vulneris ex-⁽⁵⁾ *Evilias*
lita, si nimirum hæc impediatur, quo minus sanguis extravasatus in apricum *Vulneris.*
prodeat, sed intus coerceatur, aut ad nobiliores magis ejus partes v. g. medullæ oblongatæ principium, se demittat. Monet me de hac Historia, quam *Timæus Respos. medicin. 18.* refert, sc. *Nobilis quidam Silesiacus Francosurti ad Viadrum nocte illumi & tempesta per plateas divagatus in excubitores seu vigiles urbis incedit, a quibus in osse sinistro capitis ad futuram coronalem bipenni acuta punctum, in hypochondrio autem dextro ense lato & hebetæ casum, vulnera-*

zus illico concidit & *Φωβος*, die tertio superveniente Epilepsia forti & convulsionibus expiravit. Cui casui ita hoc suum iudicium subnectit, *Vulnus in hypochondrio dextro pro lethali habendum non esse &c.* Alterum autem in capite mortem intulisse nullum est dubium: fuit enim, ut in apertione cranii conspeximus, valde profundum & utramque meningem ipsosque cerebri ventriculos penetrans adeoque angustum, ut sanguis, cujus magna copia ad basin cerebri defluerat, nullo modo evacuari posset.

(6) *Certainum cerebri partium.*

In specie vero & sexto ut plurimum, si non semper, & per se mortifera deprehenduntur corporis callosi, fornicis, corporum striatorum & medullæ oblongatæ tam crurum quam caudicis hujusque protuberantiarum vulnera, utpote non tantum partium, medullari cerebri substantiæ continuarum, sed talium quoque, in quibus ex utroque hemisphærio cerebri emergentes canaliculi fibrosi, tanquam in centro, seu communi trunco, concurrunt, ac proin in quibus, exigua incisione seu laceratione plures ad organa vitalia abeuntium nervorum radices, manipulatim quasi, præsecantur ac dilacerantur: de qualium surculorum læsione ex symptomatis mox ab ipsa vulneratione evenientibus, certiores reddimur, v. g. singultu aut vomitu effero, pulsu maxime inæquali ac intermittente, idem dyspnœa &c.

(7) *Et cerebelli.*

Quemadmodum tandem & septimo hujus loci sunt plagæ cerebellum subeuntes, utpote quod motibus involuntariis intrinsecus, nempe cordis, diaphragmatis, ventriculi atque intestinorum, magis, quam cerebrum, videtur litare, quatenus par nervorum quintum, sextum, octavum, eisdem organis vitalibus dicatorum majorem ab illo, quam ab hoc spirituum animalium copiam recipiunt, prout nunc ex illis, quæ Anatome moderna de nervorum intercostalium, octavi paris & phrenici exortu atque mutua implicatione nobis detexit, suppono. Imo si experientiam consulamus, vix unum forsan observare continget, qui ex lacerato cerebello evaserit, cum plura passim obvia sint illorum exempla, quibus satis ingentia quoque cerebri vulnera coaluisse perhibetur, Referre huc mihi liceat experimentum, cujus *Perrault Méchanique des animaux part. 2. cap. 7. & Vieussens neurograph. lib. 1. cap. 20.* meminerunt: Nimirum animalis capite per superiora aperto, hincque dissecto & exempto cerebello, hoc illico mori, integro quamvis cerebro & medulla oblongata; contra insigniter satis in simili subjecto lacerato, imo evulso, cerebro, ut intactum maneat cerebellum, ad aliquot horas satis commode adhuc respirare animal ejusque cor palpitare. Idem in catellis junioribus, quibus calvaria adhuc mollior & futuræ hiscentes, per futuram sagittalem

lem adigendo cultellum in cerebellum, tentavi, vidique eosdem post leviores partium externarum concussiones expirasse, remota vero calvaria in uno totam fere illius compagem perforasse, in altero ad medullosum ejus nucleum tantum penetrasse, instrumentum.

Quibus denique capitis læsionibus cunctis subnectere convenit *σέσω*, *Cerebri commotio lethalis.* i.e. Agitationem seu commotionem cerebri, quæ quemadmodum modo pluribus reliquis capitis læsionibus major minorve combinatur, modo sine his à sola concussione illius contingit: ita in priore casu aliquando lethality sociam, in posteriore solitariam, causam, illam auguror. Talem qui patiuntur, v. g. ex lapsu aut allisione violentiore, docente Hippocrate 7. aph. 58. 3. coac. 370. & 1. de Morb. t. 3. ac Galeno in Hipp. f. 7. aph. 58. *obmutescunt, sine sensu & motu concidunt, imo, nec apertis quamvis oculis vident, & fere seu ut plurimum moriuntur:* uno verbo frangitur tali quassatione cerebri robor vehementer, ut munia sua peragere nequeat: qualem concussionem a sternutatione etiam experimur, interdum adeo gravem & lethalem, ut mos precandi salutem sternutationibus, etiamnum hodie solemnis, olim hinc originem cepit.

Quorum quidem phænomenorum duplex sub cerebri commotione existit causa, i. e. quemadmodum hæc modo cum ruptura vasorum, cerebrum ambientium ac transeuntium, modo sine hac, fit: ita eadem symptomata gravissima aliquando a cruore extravasato, aliquando sine hoc, a sola partium cerebri quasi dislocatione & situ mutato, dependent. Ruptorum vasorum sanguineorum ex concussione capitis exempla infinita hinc inde ex Medicorum ac Chirurgorum historiis depromere liceret, neque ullus talium notitia destitueretur, cui cadavera ex percussionibus capitis defunctorum secare & lustrare concessum. Plura horum proin & ego enarrare possem, tria tamen tantum malo, utpote de vasis majoribus testantia. Anno 1674. d. 22. Septembris a Quæstore Delitiano requisitus, Landsbergæ aperui calvariam Christophori Köblers hoc genere mortis trucidati, ita quidem ut mox sine sensu & motu cum stertore concidisset ac expirasset: in quo præter fracturas & fissuras ossium diversas cerebri a fragmentis lacerationes, item vasorum tam per ambitum hujus decurrentium, quam eidem intertextorum, rupturas, illum Carotidis arteriæ ramum insignem, qui intra fissuram cerebri dextram magnam, ab orbita oculi per maximam ejus hemisphærii partem abeuntem, reconditur, divulgum mecum viderunt Chirurgus atque adstantes. Anno 1675. d. 9. Maji a Nobilissimo hujus Civitatis Senatu vocabar ad pagum vicinum, Köhl-Garten / ut Vetulæ, quæ pariter ictu atque Lethargo & sub auditu loquelæque

*Propter rupta
vasa sanguinea.*

amissione obierat, caput inspicerem: & ecce, in hujus integumentis, nec mollioribus, nec durioribus, nisi inter cutem & calvariam tantillum sanguinis extravasati, aliquod violentiæ perpeſſæ veſtigium cernere licebat, inter duram & Piam meningem vero, intra cerebrum & cerebellum ac ſub baſi utriusque multum cruoris, ex ramo ſc. arteriæ carotidis ſiniſtræ, ad vertebralem ſub cerebro deſcendentis, effuſi. Denique poſtulatſus Anno 1685. d. 15. Ianuar. a Quæſtore Sckeudiceniſi aperui cadaver Iuvenckæ, ſedecim circiter annorum, & ex lapſu quarto die deſunctæ, in cujus capite nihil omnino violentiæ effectus obſervare dabatur, quamvis cruor ex ore & naribus vivæ pariter ſatis copioſus promanſſet, ac mortuæ promanaret: donec aperta calva & elevato cerebro Carotidum ramus ſiniſter anterior ruptus ſanguinis illius ſcaturiginem monſtraret.

Vibratio cerebri tremoriſi maſs.

Pro illa autem Cerebri vibratione lethali, quæ ſine ejuſmodi arteriarum aut venarum ruptura contingit, commodius concipienda, ſuppono ex mechanicis, dura quævis, hinc calvam quoque, non ex meris partibus ſeu machinulis ſolidis, ſibi undique exacte contiguis, congeſta eſſe, ſed prout ex ſtaminibus, non ex omni parte cohærentibus, & quæ innumeræ poroſitates ac ſpatiola intercipiunt, in quibus ſtringi ac flexi poſſunt, coagmentantur, ita eorum totam quoque compagem ab icſtu violentiore aliquantisper conſtringi, ejuſque impetus momento ceſſante, denuo dilatari poſſe, percuffa proin neceſſario tremiſcere. Qui tremor in oſſea hac galea fieri nequit, quin ad cerebrum & partes ipſi intertextas propagetur: utpote quæ illi non tantum contigua, ſed per vaſa & membranas continua, ſunt: Imo, quemadmodum pariter ex doctrina Percuſſionis hujusque potentiæ evinci poſſet, (multis paradoxum ac impoſſibile viſum) vibrata calva cerebro motum, motu ſuo velociorem ſeu vehementiorem, imprimi, ſimili modo, ac pila ſimileve corpus ſuper tabulam ligneam aut incudem ferream quieſcens, ad harum percuffionem tremorificam velocius longe his, quæ icſtus extrinſeci vim immediate magis ſuſtinent, exagitur & in altum projicitur, quantum ſc. ſpatium ambiens ipſi concedit; & proinde cerebrum ad calvariæ contuſiones quatitur atque ſubſultat, ac quidem motu pariter tremorifico, plus minus, prout vel percuffio major minorve, vel ſpatium in ejuſ ambitu amplius aut anguſtius, eſt.

Propagatur ad corpora contigua.

Hinc a calvaria quoque ad cerebrum.

Vnde ratione prioris circumſtantiæ evenit, ut innuente Hippocrate de *Vuln. cap. 1. 13.* icſtus rectilinei obliqui ut plurimum gravius afficiant, imprimis perpendiculares & vertici illati: utpote quorum major eſt vis, in ſe perpendiculariter recurring & quaſi duplicata, hinc potentiſſime non tantum quatit calvariam

variã ac cerebrum, sed hoc vel ideo potentius, quod cranio illud hic vicinius sit, eique propius adhærescat. An vero spatium inter cerebrum & cranium in senibus latius, juxta *Hollerii* in sæpius allegatum *Hippocratis* Aphorismum *Scholias*ten, primaria & solitaria causa sit, cur in his magis agitur a percussione cerebrum? *vix* assererem: cum naturalis ejus flacciditas & subsidentia, ætati huic solennis, ac spatii vacui amplioris causa, plus forsan lethali ejusmodi eventui litet.

Hujus enim meatus seu fibrulæ aut canaliculi medullares, tanquam nervorum primæ propagines seu radices, a *Vibratione* ejusmodi comprimuntur, subsident, contorquentur aut quomodocunque tonus eorum vitatur, imo illæ aliquando propter summam sui teneritudinem, lacerantur: cunctis tamen his modis œconomia spirituum animalium insigniter turbatur, perinde ac a subsidentia cerebri alterius causæ apoplexiam lethalem *Platerus obs. lib. 1. pag. 16. & Barthol. cent. 4. hist 68.* annotarunt, cujus formale symptomata, commotioni cerebri supervenientia, constituunt.

Velocius seu protinus sub vibratione illa vehementiore eadem invadere *Non omnes, Hipp. loc. alleg.* tradit, quale quid nihilominus hæud perpetuæ observationis est: quatenus non omnes, quibus cerebrum quassatum, mox aphoniam concidunt, sed plures aliquando dies sine ejusmodi prostratione mediocriter sese habent, quale quid *Dodonæus obs. medic. 1.* perhibet, in quodam, qui baculo in temporum sinistro, ad ossis petrosi usque fissuram ingentem percussus, primo non nisi, levi & interpolato sopore, corripiebatur, post plures demum dies in graviores degenerante atque enecante. Cui similis est ille casus, quem *Valeriole lib. 3. Obs. 8.* debemus, quo *Vinitor* in syncipitis parte sinistra lapide ictus, sine vulnere, sine fractura fissurave, ad aliquot dies sine gravibus symptomatis manebat, his demum post septimum supervenientibus, moriebatur; sub cujus calvaria multum puris & membrana aliquantum corrupta, comparuit. Præterea ipse *Hippocrates 5. Epidem. ægro 24.* quendam, a *Macedone* in caput percussum, equidem mox corruisse, (foran notante *Pavvio p. 150.* potius præpercussione robore ictusque vehementia, licet non perturbaretur cerebrum) tertia vero demum die voce & post hæc sensibus privatum fuisse, refert: Ut vel ex hac ipsa Historia, cum in pluribus equidem, non tamen cunctis, præcipitem ejusmodi symptomatum metum incutere voluisse, inferendum veniat. Aut cum *Berengario l. a. cap. 5.* dicere oportet, aliud esse commotionem cerebri, ut talem, id est hujus medullarium tractuum confusiones seu conturbationes, aliud sub & cum ea contingentes valorum sanguiferorum

rupturas ac cruoris depletiones: quarum illæ, si vehementiores, quia ab ictu seu alisione corporis durioris immediate dependent, repente seu subito mutos reddat, reliquisque motibus ac sensibus privet; quæ vero ratione rupturæ arteriarum ac venarum tale quid patret, non semper mox sub ictus momento, sed aliquando tardius, vim suam lethiferam exerat, postquam nempe sanguis putrescit, & hoc modo spirituum dispensationem turbat.

Confunduntur equidem bini hi de cerebri exagitatione conceptus ab illis quoque Scriptoribus, quos Doctores bene meritos venerantur Prudentiores, Classicos vocant temulentis præjudiciis occæcati: ast ipsimet Hippocrati forsitan illi injuriam faciunt, qui solius cerebri substantiæ vibrationis seu quassationis eventum talem ait, nulla habita vasorum sanguineorum ruptura, horumque fluidi rejecti. Sunt ex Primatibus Artis nostræ alii magnæ autoritatis, ex quibus brevitatis causa unicum *H. Augenium tom. 1. lib. 9. epist. 3.* loco plurimum nomino, qui accuratius longe inter commotionem substantiæ cerebri, & si per vehementiam contusionis aliqua venæ in cerebro fuerint abruptæ, indeque sanguis effusus ac putrefactus mortem attulerit, distinguunt: quorum prius sine altero, i. e. quassationem cerebri fati violentam & lethalem absque vasorum sanguineorum laceratione, a capitis contusione aliquando evenire posse, frequens evincit experientia testanturque modo nominatus *Berengarius l. a.* atque *Wiseman. of Wwounds cap. 9.*

Quæ cerebri
commotio le-
thalis?

Quod si E. a Commotione cerebri, proprie tali, quis moriatur, ejus percussionem per se lethalem, pronunciarem, si nimirum pathemata hinc emergentia non solam facultatem animalem, sed simul vitalem, mox enormius turbarint, & remedia, alias congrua, eis amoliendis aut solvendis haud suffecerint. Prout enim de vulneribus Cerebri dictum, eorum quædam hoc, alia aliud, accidentium, plus minus lethalium, genus concitare, diversis nimirum ejus partibus seu tractibus præfectis: sic probabile est, ab agitatione cerebri graviore modo hos, modo illos, nervorum furculos seu fibras radicales, præter naturam contorqueri, comprimi, laxari, tendi &c. ac pro harum disparitate alia atque alia phænomena morbosa fieri. Dum v.g. *Heurnius in Hipp. 7. aph. 58.* quosdam σείσω ejusmodi perpeffos tota vita sua ad gustandi & odorandi potentiam non rediisse, narrat: *G. Segerus Miscel. Nat. Cur. Dec. 1. ann. 2. obs. 120.* in alio ex casu obmutescentiam sine ulla insuper læsione, tandem curatam, testatur; quale quid pariter de quodam, cum insequente tamen post octiduum morte, *Blankart. Collect. Med. Phys. cent. 4. obs. 28.* perhibet. Quibus demum ad stipulatur *Berengarius l. a.* dum ait: *Post concussionem atque agitationem cerebri, secundum nervos ruptos, ad quæ vadunt tales, varia evenire accidunt:*

qui textus verba quamvis spissiorum spirituum Cephalotomis de nervorum tantum ex cerebro emanantium caudicibus intelligenda videantur, quin tamen ad radices quoque eorum extendi queant, nihil impedit: cum quæ occasiones radici subtrahunt fluidum animale, ipsi quoque nervo hoc intercipiant.

Sin itaque nervorum cardiacorum, thoracis, phrenicorum, ventriculi &c. furculi radicales, i. e. nervi hi sub primo statim sui ex cerebri medullæ exortu, per hujus generis vibrationem figuram situmque mutant, eorumve tonus eousque vitietur, ut vitalium functionum una vel plures graviter hinc turbentur: Contusionem capitis, quam lethalia ejusmodi symptomata, propter cerebri insigniorem commotionem, mox excipiunt, mortalem per se præsumere sana ratio suadet. Quæ vero ratione sanguinis extravasati tale quid præstat, pro circumstantiarum illarum, de quibus superius, ubi de ruptura vasorum, occasione fracturarum calvæ, dicebatur, disparitate, modo per se, modo per accidens solum, lethalis audiet.

Atq; illud quidem in iis eo certius, quorum Cerebrum concussum in consensum adeo evidentem interiora Thoracis atque Abdominis abripit, ut Pulmonem cum Pleura, Epar ac Lienem inflammari, hinc suppurari contingat. Penes Antecessores hujus generis observationes legere vix datur, testantur tamen lethales *P. Marchettis obs. med. chir. 15. Scriptor ille anonymus Gallus L'art de faire les Rapports*, cujus aliquoties memini p. 80. 81. atque *Ant. Paccchionus de dura meningis fabrica & usu*. Apoptematum horum ætiologiam redditurus *Marchettis* l. a. ex dolore colli conjuncto sibi persuadet, a vulnere Capitis ad Thoracis cavum delabi horum materiam: quæ longiore mora Pulmones ac Pleuram erodat, ex quibus sanies ad Abdomen defluens in Iecore ac Liene pustulas excitet, quibus disruptis materia purulenta in abdomen deponatur. Quamvis mox addat; alios de ratione hac fieri hæsitare, ac potius credere, Abscessus in visceribus his, sine metastasi saniei ex capite oboriri: ideo imprimis, quod vix appareat, qua ratione adeo copiosum pus, quo mediam Thoracis & Abdominis cavitatem in plerisque fuisse refertam ipsemet commemorat, ex Capite ad inferiora hæc delabi queat. Quibus addicio, nec per sectionem cadaverum ejusmodi manifestari vias seu meatus, per erosionem factos, per quos devoluta fuerit ad Thoracem ac Abdomen purulenta hæc materia; nec longiore demum temporis mora semper illam congeri, sed interdum brevius post factam percussione, v. g. intra triduum, intra quod exile tempus ille *Anonymus* ex ingente Epatis abscessu cujusdam Ca-

*A commotione Cerebri Ephemere ab-
scessus Pulmonum, Epatis &c.*

Vnde horum materia.

pite vulnerati plus quam septem Vncias se eduxisse, Pulmonisque totam substantiam pure suffusam se vidisse, perhibet; qualis humoris corrupti moles forsane Cerebro nunquam foret expectanda, utpote quod in ejusmodi casibus raro simul suppuratam cernitur, dum in Capite indigitati subjecti nihil nisi exiguum sanguinis congrumati, reperire licebat. Idem confirmat Observatio *Pacchioni*, qua refert, quendam in Occipite vulnus accepisse, nullis pravis signis hactenus comitatum, donec post octuagesimum a decubitu diem fragmenti, Meningi adhaerentis, rudior extractio totius corporis concussionem, partium cunctarum refrigerationem, sudorem gelidum, pulsum admodum debilem & dolorem intestinale concitarit. Quo evanescente tensionem Abdominis factam, manuum compressioni aliquomodo extrinsecus cedentem, interius vero valde dolorificam, cum inflammatione & exquisitiore dextri Hypochondrii sensu, bilis vomitu & tertia die morte, insequente. Nihil puris intra Calvariam defuncti, sed aliquam tantum serositatem, in Epatis autem gibbo abscessum insignem, ex quo seri ac puris crudi copia in Abdominis cavitatem profluxerit, fuisse deprehensum. Ex quibus concludendum, graviores Cerebri concussiones tam in se, quam per abscessus ejusmodi Medii ac infimi Ventris, mortiferas maxime contingere: adeoque in eorum, qui ex Capitis percussione obierunt, cadaveribus etiam horum extispicia fore instituenda, quo nimirum de singulis circumstantiis satius constet.

Commotio cerebri cum Lympha ebassuatione.

Addo denique his capitis ac cerebri contusionibus atque concussionibus illam, ubi loco sanguinis Lympha seu serum extravasatur, & ad cerebri interiora, v. g. ventriculos depositum, vel solum, vel propter illius tractus medullares simul turbatos atque distractos, enecat: quorum hoc celerius ut plurimum & cum gravioribus mox symptomatis, illud lente satis, contingit. Rem ita se habere, variorum Authorum Observationes comprobant, v. g. *Job. Chiffletii obs. rar. II.* qui puerum, 14. annorum, postquam caput casu ex alto allisset, ita a commilitonibus in dolio rotatus fuisset, in levissimam febrem, stuporem instar temulentiae ac dolorem capitis incidisse, subinsequente vero obmutescencia dentiumque stridore duos post menses mortuum, & ejus cerebri ventriculorum dextrum Aquae libram unam continuisse, refert. Cujus quoque generis est, quod *Berengarius* cap. 13. de Nepote Cardinalis Strigoniensis perhibet, se ex capite hujus insigniter vulnerato, seu ampla fovea in cerebri substantia excitata, copiosam aquam, per vices coacervatam, evacuassee, sexagesimo vero die hujus portionem de novo collectam & coercitam Epilepsiam cum rigore & tremore universali concitasse, qua tamen denuo evacuata vulnus consolidatum & æger pristinae sanitati restitutus fuerit. Porro *Bonetus Sepulchret. lib. I.*

sest. 1. obs. 13. de puero septenni ac ingenii vivacissimi narrat, eum, cum supinus ex sedili in occipitium graviter cecidisset, mox de ingente capitis dolore, nullius læsionis notis exterioribus, conquestum fuisse, cum insequente vero decimo die ischuria, decimo quinto fatis cessisse. Sub cranii integumentis dissectis in occipitio, ubi ictus fuerat, amplius librâ una sanguinis concreti, in anteriore capitis parte, inter cerebrum & meninges ingentem serî copiam, delituisse. Refero huc bina exempla, quorum alterum Amici relationi debeo, alterum propriis usurpavi oculis. Sc. narrabat prior se Amstelodami apud Blasium vidisse Cranium pueri hydrocephalo defuncti, quem contraxerat, quod nutrici ulnis seu sinu elapsurum hæc pede altero comprehensum violentius levarit atque successerit. Ego vero A. 1683. d. 7. Jun. post-

Observatio.

Observatio.

latus a Prætorè hujus civitatis in suburbio aperui caput pueri septennis, qui baculo in caput percussus, post cephalalgias, modo vigilias, modo somnolentiam, vertiginem, convulsiones capitis, motum atq; erectionem impeditam ac pedum vacillationem die vigesimo sexto occubuerat, in quo nullum violentiæ externæ vestigium, præter concamerationem ventriculorum anteriorum sero limpidissimo scatentem, hincque corporis callosi portionem, intra bina hemisphæria cerebri conspicuam, maxime attenuatam seu distentam, annotavi.

Contra ab ictibus ejusmodi capitis gravioribus extravasatum serum, quandoque cum euphoria per aures excretum, testantur nonnulli, v.g. *Largelotus Miscell. Nat. Cur. Decur. 1. ann. 6. obs. 12.* Certum nempe Principem Romæ ex lapsu ab alto tam valde capitis latus sinistrum lapidi imegisse, ut semianimis absque sensu, motu & loquela ad integrum fere diem jacuerit, venæsectione tantillum ad se revocatus: ita tamen, ut abhinc cephalalgia immani & continua pressa Medicis Trepanum decretum fuerit. Quod dum capiti admovere tentant, ex sinistra aure latex quidam serosus stillare incipit, qui Medicos ac Chirurgum ab operatione desistere & naturæ molimen admirari jubet, cujus robore primum duæ ad minimum & successive octo libræ feri fuerint excretæ. Cui similis videtur historia, quam *Cornel. Stalpart van der Wiel obs. rarior. part. 1. obs. 15.* describit, Fœcellam nempe quandam cono ligneo in bregma sinistram percussam omnem sensum & motum perdidisse, vomuisse & tantillum sanguinis ex aure ejusdem lateris profudisse, cum levi saltem cutis laceratione, alit sine omni calvariæ fractura: quæ tamen post venæsectionem aliorumque congruorum applicationem ad se redierit & per quinque continuos dies multum aquæ serosæ, duarum circiter librarum, cum euphoria & ad reconvalescentiam usque excreverit,

Vnde

*Lympha ad ce-
rebrum interio-
ra extraaba-
satio lethalis.*

Vnde hoc serum sit, vel quæ ejusdem, ab ictibus capitis violentioribus, extravasationis ætiologia, disquirere hujus loci vix videtur, nec ego, an ex vasorum Lymphaticorum, cerebro intertextorum, utpote, nondum a Professoribus visorum, ruptura, an medullarium cerebri meatuum laxitate simili-ve morbosa constitutione, hincque feri motu impedito seu eructatione, talo quid dependeat, determinare præsumo: illud præsentis magis instituti videtur, an profusio & circa medullium cerebri facta congestio, si symptomatis lethali- bus occasione extiterit, per se lethalis dici mereatur? Quod equidem asserendum puto, quatenus sub calvaria, multo magis intra cerebri ambitum, contingens hydrocephalus nullam curationem admittit, i. e. aqua, ut causa mali continens seu proxima, nulla arte educi valet: unde tractus cerebri comprimendo necessariò sensuum omnium torporem aliaque symptomata lethalia, pededentim inducit, vel de laxitate meatuum cerebri extraordinaria, secretioni ac dispensationi fluidi nervei exitiosa, testatur.

Object.

Nihil enim movet, quod *du Hamel Philos. Vet. & Nov. tom. 6. seu phys. part. 3. c. 6.* ex relatione Dodardii profert, sc. illum diversis temporibus duorum infantum, hydrocephalorum, capita aperuisse: quorum anteriores ventriculi, cum tertio unam & continuam cavitatem efficientes, aqua pura & limpida quamvis tursent, uterque nihilominus eorum aliis morbis, qui nullo modo capitis affectus dici potuerint, laborarit & citra omnem convulsionem interierit; hincque aquam intra cerebrum conclusam apoplexiam haud inferre, concludit. Quippe ut talis colluvies non semper & mox symptomata graviora cerebri ac generis nervosi inducat, & aliquando ex alia causa mors præmatura hydrocephalo affectos, antequam illa vim suam in organa illa abunde exeret, tollat, quale exemplum *Vesalius* quoque *de hum. corp. fabr. l. 1. cap. 5.* proponit: particularia tamen & rariora hæc phænomena tantæ consequentiæ haud sunt, ut eos, qui morbo hoc, sive per causam intrinsecam, sive violentiam externam, concitato, defunctos non a feri hac congestione succubuisse, evincant. Plus dubitandi rationis involvit dignotio, qua certi reddimur, an, quod intra calvariam reperitur, serum percussionis seu collisionis, an potius causæ cujusdam internæ & antecedentiæ, productum sit? i. e. ex symptomatum collatione semper equidem recte inferimus, colluviem illam horum & mortis infecutæ causam existere; rarius vero determinari potest, an hæc aliquandiu jamdum latitarit, an a violentia externa pro-

Resp.

*Dubium, an
hoc serum a
procatarxi,
an a percussio-
ne?*

manarit?

Atque hæc de Lethalitate Percussionum Capitis, pro Instituti ratione sufficere crederem, nisi frivolos Homicidarum Defensores, ne dicam, Medicos Artis ignaros ac malitiosos, variis technis, imprimis per medelam minus decenter administratam, illam suspectam reddere nossem; quibus quidem in parte generali me satisfecisse puto. Inter hos tamen defectus quia frequentius Trepani usum neglectum perperam referunt, & per hunc vulnus Capitis per se lethale, aut per temerariam peritæ jactantiam, aut mercedis cruentæ aviditatem, per accidens tantum tale pronunciare satagunt: pro negotio hoc adæquate ventilando opus esse ratus paucis adhuc, quod olim in Dissertatione quadam de *Trepanationis difficultatibus* tentaveram, innuere casus, in quibus Chirurgia hæc necessaria, seu in quibus, non sine imperitiei culpa, negligatur. Quo ex his demum plenius constet, quando illa male & in perniciem Vulnerati fuerit omissa, sicque non tam vulnerantis violentia, quam vulnere inflictio medentis errore, illum periisse, seu Percussionem per accidens demum lethalem evasisse.

Frequentius propter Trepani usum intermissum per accidens tantum lethales pronunciantur Capitis percussiones.

Sc. Utilitatem ac Necessitatem Modioli experimur, seu secundum rectam rationem ejus applicationem suscipimus, non in quibusvis Capitis plagis, secundum *Petri Martyris Troni* doctrinam, neque tamen tantum ex Præcepto *Lanfranci*, ubi os *Calvaria* fractum inclusum *εγκέφαλον* premit aut pungit: sed, ex *Hippocratis*, *Galen*, *Celsi* ac plerorumque, antiquorum pariter ac modernorum, sententia, in quibusvis ejus percussioibus, ubi aliquid p. n. sub Cranio hæere auguramur, quod per hanc ejusdemve fracturam angustiores progredi ac educi nequit, tollendum tamen vi primariæ indicationis. Id est non ipsa Capitis læsio fracturaque *Calvaria*, ut talis, Chirurgiam hanc perforatoriam postulat, hincque nullus consequentiæ pronunciatum: Capiti, gravius etiam, sauciato non administratus fuit Modiolus, E. hic percussus culpa negligentius medentis & ex accidente, periit. Sed certæ demum ejus condiciones seu adjuncta, h. e. quicquid occasione percussiois similive violentiæ externæ aut ad *εγκέφαλον* detrusum delapsumve huic graviora symptomata parat, aut cujus descensum metuere jubemur. Prioris generis sunt, præter ab extra immissa telorum fragmenta &c. cruor, sanies, lymphæ & calvæ frustula, quæ sui educationem exigunt, ne mole præmant, acrimonia seu heterogeneitate rodant, vellicent ac asperitate lacerent atque mortificent: Posterioris classis observamus saniem, rodentem pariter ac sphacelantem, quæ ex osse plus minus contuso, hinc carioso facta, aliquando etiam sine evidentiore fractura, ad interiora Capitis destillat.

Trepani usum qua postulens?

*Ab ejus usu
neglecto excu-
sant.]*

*Si heteroge-
nea s. educa-
da minus di-
gnoscantur.*

*Fallit ictus
gravis in
sanguine ex-
travasato di-
gnoscendo.*

Quorum tamen educationem morantur, & Chirurgiam hanc, penes peritos æque ac imperitos adeo decantatam, difficilem reddunt, aut, si de educendis his horumque situ ac loco specialiore minus certo constet, hinc deficiente seu ignorato indicante deficiat indicatum; aut illa commode educi renuant: sive hoc pariter ratione eorum situs, sive alterius cujusdam circumstantiæ, contingat. Cruorem a percussionibus Capitis extravasari, tandemque in pus sanieque converti, ex cadaverum sectione quam manifestum est; in percussis viventibus vero difficillime dignoscitur, imprimis si nulla, aut non evidens, simul contigerit Fractura. Ex ictus gravioris momento fractum Cranium, rupta Vasa Sanguinemque effusum ominamur: quia nihilominus illius impetum majorem tale quid non semper patrare, leviolem aliquando profundius lædere, crebrius edocemur: hinc formata conjectura illi percussione adjuncto seu effectui minus deprehenditur adæquata. Postquam ipsam fracturam sensibus semper dijudicare haud conceditur; signa ejus aliquando nulla, aut fallacia admodum, existunt: prout superius prolixè satis indigitatum dedi, assentiuntur etiam in hoc omnes Artifices. Nec symptomata vehementiora, quæ extravasationem ejusmodi comitantur, sc. prostratio in humum subitanea, vomitus biliosus, oculorum rubedo, aponia, torpor sensuum &c. Commotioni Cerebri incruentæ, i. e. meræ & sine vasorum ruptura factæ illius concussioni, adeo infrequentia observantur, ut necessario ac semper vasorum sanguiferorum rupturam innuant: eadem aliquando evanescent, hinc Chirurgum securum reddunt, donec ex improvise & cum majore atrocitate recrudescant ac operationem irritam faciant. Neque his casibus perpetua & inseparabilis est Sanguinis per Nares atque Aures eruptio, quam inter signa certiora extravasationis ejusmodi numerant, sed hujus majori ac graviori tantum gradui combinatur: cum nihilominus tantillum Cruoris, quod sine notabili Cerebri succussione ac durioribus symptomatis sub Calvaria colligitur, temporis tractu, aut dum in sanie convertitur, horum lethalia patrat. Haud audiendi, qui, quod in ictus momento percussus non ceciderit, non vomuerit, viderit audiverit &c. ejus Calvariam integram & illasam nihilque sanguinis sub illa extravasatum ajunt: postquam Experientia convincimur, Cranium aliquando sine ullis aut majoris momenti Symptomatis, non tantum leviter contundi, sed enormius quoque confringi.

*Lympha ex-
travasatio.*

Difficilius longe est Lymphæ dignoscere profusionem, nisi evidens Cerebri concussio eam suspicari faciat; extra quem casum, quia tardius ut plurimum

rimum congeritur, symptomata ejus aut nulla; aut leviora, observantur, aliquid ^{difficilius quo-} qualis tantum nempe sensuum stupor, capitis gravitas ac dolor, vertigo, so- ^{que digno-} mnolentia cum vigiliis intercalariis. Sanie ex cruore productam augu- ^{sicitur.} ramur, & quidem temporis demum tractu, ex Commotione Cerebri graviore antecedanea &c. vasa rumpente, ac symptomatis quotidie ingravescentibus, ^{Dubia pariter} juxta illud Hippocratis, dum pus fit, febris ac dolor augetur: quam tamen dum ^{Saniei colle-} educere molimur, res ut plurimum deprehenditur desperata, hinc irrita ^{ctio.} Operatio. Et naturæ miraculis adscribendum, quod in Juvene phrenetico Veneto testatur H. Saxonia prælect. præct. part. 1. c. 3. cui suborto abscessu, purgata fuerit sanies per aures, oculos & nares: quemadmodum pariter, quod penes Glandorpium Specul. chir. obs. 4. legimus, de quodam pugili, cui cum graviter in Capite vulnerato tertia die gravia supervenirent symptomata, ut suspicio de materia quadam præter naturam sub Cranio collecta contingeret, hoc cum Dura matre aperto ingens saniei copia effluxit & æger sanitatem recuperavit.

Neque tamen in hoc casu a Calvariæ perforatione aliquid certi promittendum, & pauci illorum quibus ejusmodi suppuratio aut potius corruptela saniosa contingit, evadunt, sanie quamvis copiosius promanante, perinde ac illis, quibus extravasatio ingens, parum spei superesse videtur. Per moram nempe diuturniorem, quam, antequam, in pus abeat, sub Calvaria trahit Cruor, decubitu interim suo multum hujus partium contentarum corrumpit: atque hoc equidem eo magis, cum non verum e sanguine extravasato hic formetur pus, sed in liquamen potius putrilaginosum idem convertatur; quod fœtor ejus cadaverosus aliaque phænomena, quibus a pure ingenuo illud quam alienissimum observatur, innuunt. Proin tunc demum & tardius hujus corruptelæ se exerentia symptomata equidem materiæ substantia peccantis educationem suadent, corruptionem tamen atque fræcedinem simul enormem, quæque omnem artis vim superat, simul declarant.

Quæ vero sanies occasione Fracturæ ex Diploes vasis laceratis in Panniculum destillat, nisi hæc evidens & gravioribus mox Symptomatis illa se manifestarit, vix cognoscitur, adminimum non in principio morbi ac tempestive, sed ubi virium lapsus Chirurgiam generosiorē prohibet; i. e. frustra patet, cui mederi haud conceditur. Quinimo in illa Fracturæ specie, quam Contusionem ac Defessionem ajunt, Medulla vasculoso-carnæa, tabulis Calvariæ intertexta, modo laceratur, modo comprimitur, hinc sanguis vel ad Diploen profunditur, vel intra vascula compressa stagnat, sub utroque statu pu-

Nec puris collectio semper admittit trepanum.

Nec in Defessione Trepani usus semper locum habet.

trahit, & os ad inflammationem usque corrumpit: ita quidem ut hujus tubus aliquando panniculo instillatus hunc cum cerebro ad lethalitatem usque syderet, in uno subjecto citius, in alio tardius, i. e. aliquando post plures demum septimanas, ne dicam totidem menses, prout Historiæ a *Paw. in Hipp. de vuln. Cap. p. 82. & 91.* enarratæ testantur. Qualis vitii medela Modiolum frequentius postulat, antequam nimirum os contusum per moram corrumpatur & ejusmodi ichorem ossi vicino pariter, ac substratæ Membranz corruptivum generet: de eodem nihilominus experimur, difficillimæ satis conjecturæ illud contingere. Quod in osse nulla sensibilis aliquando contingat mutatio, nulla relinquatur & compareat in hoc vel exilissima rima vel fovea: Dum, adverteute *Fallopio & Vertunio in Hipp. de Vuln. cap.* ejus compages ab ictu compressa depresso mox in statum seu formam pristinam, sc. per Elasticitatem suam intrinsecam, resilit ac restituitur; quatenus in eadem continuum, non juxta magnas, sed minores & intrinsecas tantum, sui particulas, i. e. per meram attritionem, solvitur.

Nec Fragmenta ossis semper usum Trepani innuunt.

Quod demum fellucas & fragmenta majora minorave Calvariæ, tabulæ potissimum interioris, attinet, Membranis ac Cerebro diversis modis molesta, præter Fracturæ ac Commotionis Cerebri cætera signa dolor equidem, cum insequente partium harum Inflammatione hincque delirio aut torpore talia innuere creditur: quia tamen dolor hic aliquando non, nisi confuse, a percusso, sub delirio torporeve, sentitur, aut de eodem ille conqueritur, nec a dolore ipsius Fracturæ squammæ pungentis vellicatio commode semper discernitur. Neque fragmenta ejusmodi, si vel minus aspera, vel læviore sui superficie Membranam contingunt, molestiam semper sensibilem concitant, adeo quidem ut talia interdum in Cadaveribus reperiantur, quæ in vivente adhuc subjecto nullo modo augurari licebat: incerta hinc quoque manent horum signa, & manus Chirurgi prudentis hæsitat in eductione eorum per Trepanationem tentanda.

Porro eductio ejusmodi heterogeneorum, Calvariæ immerforum dubia manet, quamdiu dubii hæremus de particulari eorum situ: i. e. an sub Bregmatis, an sub Temporum, an Occipitis, ossibus, an super Oculorum Orbitas, in Calvariæ basi, in Cerebri Substantia ac Venticulis &c. lateant. Atque hoc quidem, si regionem Capitis percussam ignoremus, si Contrassura subfuerit, plures ictus forsan sustinuerit æger: ut taceam, hæterogenea hæc aliquando pristinum situm mutare & ex altiore loco ad profundiorum volutari. Qualis sane circumstantia ancipites nos reddit, cui Capitis lo-

co admovenda sine instrumenta, labitur interim tempus & cumulantur Symptomata.

Quibus ita se habentibus nemini Medicorum ac Chirurgorum vitæ ver-
 ti potest, si in rebus adeo obscuris, & quas nulla sensus ac rationis acies in apri-
 cum ponere valet, hallucinentur ac fallantur, & subesse sibi persuadeant Cruo-
 rem extravasatum, festucam &c. hæere hæc in illa Capitis provincia, unde
 Modioli ope educi queant, haud cogitent vero de alia, quæ sedes eorum vera
 existit. Postquam nempe in illis & horum circumstantiis singulis pensitandis
 assiduitatem & peritiam suam comprobaverunt; ut ut eos errasse eventus do-
 ceat: nec negligentiam aut ruditatis accusandus, qui Capite vulneratum, sub cu-
 jus calvaria, post obitum secta, cruor, sanies, fragmenta ossis &c. reperiuntur,
 haud perforavit, multo minus plaga, ob intermissam hanc Chirurgiam,
 per accidens tantum lethalis pronuncianda. Eodem siquidem jure, quo
 veniam meretur, qui in casu, quo cum Indicante Prohibentia majoris mo-
 menti concurrunt, calvariam haud perforat, nec ob neglectam Operationem
 Vulnus minus lethale evadit: nec quamdiu de Cruoris extravasatione, sanie
 fragmentulis latentibus &c. horumque situ specialiore incertus, erroris
 convinci valet, qui illa educere minus molitus fuit; & plaga ejusmodi, ob
 dignotionis difficultatem, insanabilis seu per se lethalis jure meritoque
 decernitur.

*Non precipi-
 tanter cum
 trepano agen-
 dum.*

*Propter Tre-
 pani negle-
 ctum Vulnera
 Capitis haud
 semper per ac-
 cidens letha-
 lia evadunt.*

Accedit huic dignoscendi difficultati alia, hoc est, Heterogeneorum illo-
 rum conditiones diversæ, per quas sui educationem plus minus detrectant,
 quarum forsitan in fluidis frequentior & majoris momenti est situs seu descen-
 sus eorum profundior, ratione cujus Trepanum non admittunt, aut irritam
 reddunt Operationem, si sc. in ipsam Cerebri substantiam, Ventriculos aut
 Basin fuerint profusa. In Cruore extravasato simul attendi meretur, eum
 nonnunquam sub Calvaria eousque condensari, ut Duræ meningi instar glu-
 tinis spissioris aut picis adhærescat, hincque in cadavere vix multo conatu ac
 ferramenti deradi queat. In quali sane casu Perforatione Calvaria parum
 sperari valet, dum agglutinatus hic panniculo grumus per aperturam factam
 protinus haud excernitur, mora vero diuturniore, imo forsitan intra nonnullas
 horas, *εγκέφαλον* ad Apoplexiam usque lethalem comprimit, aut successive,
 dum in pus abit, idem graviter corrumpit: quod phænomenon nihilomi-
 nus nulla arte dignoscere conceditur. *Iohannes Baptista Carcanus Leonis*
equidem de vulner. capit. serm. 2. lect. 5. coagulum hoc diffitetur, seque sangui-
 nem sub osse extravasatum nunquam grumosum conspexisse, scribit, alios

*Situs fluido-
 rum dignotio
 difficilis ali-
 quando usum
 Trepani du-
 bium reddit.*

quoque idem asseverasse, memini: talem nihilominus hinc inde offendi, expertus testor, provocans simul ad aliorum Medicorum autopsias, Censuræ Collegii Nostri expositas. Regerere ac discernere commemoro negantes, Congelationem hanc in cadaveribus demum evenire, neutiquam in iis, qui adhuc superstites: ast vidisti fluidum cruorem in vivorum Olla? & quid obstat, quo minus in viventibus talem concipiamus sanguinem extra vasa rejectum, intestino ac locali motu destitutum; postquam ex partibus vivorum suggillatis. v. g. in Capite ipso, per factam incisionem grumos spissiores educi comperimur.

*ut, quod situs
festucarum
educendarum
variet.*

Fragmenta ossium pariter aliquando situs ratione sui educationem morari per experientiam edocemur, dum a fracturæ loco ad alium interdum ab ipso ictu illato hujusve instrumento dimoventur, cujus exemplum d. 12. Febr. 1686 Budissa ad Nos delatum, ubi fragmentum ossis Bregmatis sinistri in & ab eodem sub Calvariam longius detrusum, in quodam *Adam Gottfriedt Fürsten*, ablata hujus summitate reperiebatur, quod per Fracturam, quamvis patulam satis, cerni non poterat. Adjuta forsitan horum devolutione aliquando per motum quendam corporis aut capitis incongruum, aut si fracturæ vel aperturæ Trepano factæ linteamina sumiliave improvide subtrudantur, sicque testæ dictæ de loco suo propellantur. Aliquando a profundiore Cranii parte effracta hæc ossicula secedunt, quorum extractioni nullum Instrumentum, proin nec Modiolus, adæquatam deprehenditur, v. g. ab ossis Sphænoideis processu, Crista Galli &c. aut Cerebro desuper quoque profundius immerguntur ut nec reperiri, nec eximi, commode valeant. Cujus utriusque casus exempla in uno subjecto, *George Hausmann* suppeditant Acta Pegaviensia, lethalis proin per se a Nostro Collegio Anno 1705. mense Julii pronunciati: utut aliquot a Percussione dies melius se habuerit æger, cessarint aliquandiu Febris, Vomitus ac Vertigo, illeq; demum per Diætæ errores evidentes Febrem de novo cum aliis symptomatibus gravioribus sibi contraxerit. Quibus accedit tenacior Testarum, vel Ossis vicino, vel Duræ Matri, adhæsiō, cujus ratione sine summo aliquando periculo illæ se avelli haud patiuntur; quamvis earum celerem remotionem urgeat dolor, quem lacerando aut pungendo Meningibus ac cerebro gignunt. Cujus rei singularem historiam *Ant. Pacchionus de Duræ Matri obs. 3.* recenset de Septuagenario, qui in occipitio vulnus, nullis pravis signis comitatum acceperat. In quo cum post octuagesimam a decubitu diem Chirurgus ossis, Meningi paulo adhærentis, extractionem prope Suturam Lambdoideam tentaret, repentina totius concussione partiumque singularum refri-

Harum educationem quæ moratur earum firmior cum interioribus nexus.

refrigeratione hic correptus fuerit, sudore in super gelido, pulsu imperceptibili, doloreque ad intestina: quo evanescente tensio in abdomine apparuerit, manuum pressioni aliquoties extrinsecus cedens, interius vero dolorifica, cum inflatione exquisitioreque dextri hypochondrii sensu. Accesserit his Bilis vomitus & tertia die mors.

Impedit denique hanc Chiruriam aliquando temporis brevitās, seu *Item temporis brevitās, si non ad sint symptomata Chiruriam hanc prohibentia, certe retardantia, eandem, v. g. Hæmorrhagia gravior. Cujus intuitu etiam, si sine Integumentorum mollium vulnere Capiti contigerit læsio, hinc arte prius fuerit parandum, non ab ipsa mox facta incisione Trepanum admoventi valet, sed altera demum die & fluxu sanguinis, qui eam necessario comitatur, sedato; vel quod hic in langvorem ac animi deliquia conjiciat percussum, hinc Perforationem interpellat; vel quod hanc ipsam & Operatorem in negotio hoc ex arte expediundo turbet. Interim dum perit miser, culpa in illum minime conjicienda, utpote qui officium suum haud negligit, sed in hoc peragendo impeditur: linquit vulnus per se, non reddit, per accidens, lethale.*

Ex quibus discernere erit, quando in plagis Capitis Trepanatio aut secundum, aut præter rationem sanam negligatur, & quando hujus ommissio earum Lethalitati derogat: quamvis minus dubitem, hujus generis plures mergere posse casus, qui pro Chirurgis, qui Modiolum non applicarunt, interpellent.

CAPVT II.

DE

MEDVLLÆ SPINALIS ET NERVORVM VVLNERIBVS LETHALIBVS.

Cerebri productio & quasi caudex cum sit spinalis medulla, ita tamen, ut *Spine læsiones.* cinerea substantia, qualis Corticis ad instar Cerebri compagem medullarem involvit, ab hac in Spinali medulla obvolvatur, & ratione hujus situs diversi Cerebrum inversum commode satis forsitan dicatur, hujus quoque & spinæ læsionum examen, intuitu Lethalitatē huc refero: adeo quidem,

ut

ut, dum conformatione & officio ipsi cum cerebro convenit, ideo etiam a Galeno alterum nuncupatur, harum læsiones aliquando mortales augurari conveniat. Quas accuratioris Doctrinæ gratia dispecam in spinæ luxationem, fracturam, vasorum sanguineorum & ipsius funis medullaris vulnera seu lacerationes.

*Spina luxatio
aliquando per
se lethalis.*

Spina sicut vel ad posteriora, vel ad latera, vel ad anteriora luxatur, ita, quia priores binæ luxationes restaurationem prompte satis admittunt, posterior nunquam, aut non sine summa difficultate & periculo, hæc, si tanta, in tali spinæ loco fuerit, quæ & ubi motus seu actiones, plus minus vitales, turbat ac interpellat, mortis, quæ ipsi pedissequa, causa vera & prima dici meretur, comprimendo scil. medullam inclusam, emanationem fluidi cerebralis ad organa vitalia interceptans, aut ad convulsiones horum depravans. Per organa vero hæc non thoracis tantum viscera a Galenicis καὶ ἐξοχὴν sic dicta, sed abdominis quoque potissima, subintelligere jubet Hippocrates 2. prædict. t. 26. dum ait: *Si spinalis medulla aut ex casu, aut ex alia quapiam causa externa, aut sua sponte, laboravit, & crurum impotentiam facit, ut nec tactum quidem percipiat ager, & ventris & vesicæ, adeo ut primis quidem diebus stercus aut urina nisi coactè reddatur. Quum autem morbus invaluerit, & stercus & urina, non urgente homine, prædit, moritur postea non multo interposito tempore.* Viscerum enim abdominis functiones, quamvis vitalitati non immediate prospiciant, sine illorum tamen functionum integritate vitalitas diu integra persistere nequit: per consequens si per spirituum animalium influxum interceptum münere suo haud fungi valent, causa tale quid præstans per se lethalis præsumitur, adeoque non tantum, juxta Avicennam, vertebræ colli luxatæ mortem inferunt, ob nervos, respirationi aut pulsui cordis inservientes coarctatos aut quocunq; modo tenfos, sed dorsi quoq; imo lumborum, superiores, si nimirum ventriculi, intestinorum & vesicæ urinariæ contingant spasmi enormiores, aut ipsum cerebrum, quod satis frequens, hinc in consensum rapiatur.

Vertebræ Dorsi ad Interiora seu anteriora non, nisi per summam violentiam dimoventur, aut excidunt, ob renitentiam & firmamentum, quæ a vinculis & ligamentis suis habent, qualia potius rumpuntur, quam ut tantam extensionem ferant: hujusque dearticulationis restitutio vix sperari valet, nec inflammationi ditorum ligamentorum, hinc nec convulsionibus inde ortis, mederi conceditur. Adeoque mortifera ut plurimum deprehenditur illa, quod Medullam vehementius comprimat, tendat quoque violentius ner-

vos, ad interiora magis decurrentes, hinc diversas actiones tam vitales, quam animales, frustret: quod a spina extrorsum luxata vix metuendum, nec Medullam, nec hinc excurrentes Nervos, adeo potenter comprimente.

Quinimo circa Spinæ Luxationem adhuc attendendum, quod ab Antiquis non minus, ac Modernis, Chirurgis, v.g. *Parco & Fournier* notatum legimus: mortalem magis evenire Luxationem unius Vertebræ, præ plurimum sibi contiguarum simul facta dislocatione. Quatenus unica tantum, extra situm suum compulsa, Medullam Spinalem in acutum magis angulum cogit atque secum abripit, ut hæc proin arctius compressa, torfa & tantum non disrupta emanationem fluidi nervei ad partes magis intercipiat: quod si vero plures Vertebræ sibi contiguæ simul dislocantur, in angulum obtusum & leviter tantum illa inflectitur, hinc equidem ejus actio aliquantum, haud tamen omnimode, frustratur, & fluido illi aliquid adhuc transitus patet. Ita ratio cinari jubet *Hippocrates de articulis*, quando t. 43. unum tantum si verticulum exilierit; spinalem medullam hoc magis comprimere, si non etiam abrumpere, tradit: & t. 45. eandem Medullam distorsiones Spinæ circularis, i. e. ad gibbositatem conspicuam factas, facilius ferre, non angularem.

Recensitis his Spinæ Luxationibus cum *Galeno* jungo hoc, ubi Vertebræ equidem de locis suis minus dimoventur, sed intra sedes suas manent, laxantur nihilominus harum Ligamenta eousque, ut illarum contiguitas sensibilibiter lædatur, seu juncturæ earum plus minus a se invicem recedant, quod Quassationem seu Seisin communiter ajunt, Elongationem forsan appellare liceret. Qualis equidem Ligamentorum atque Articulationum laxitas non semper tantum periculi involvit, si nimirum a causa interna, & quæ lente magis agit, eveniat: ab impetu tamen externo violentiore si tale quid eveniat, subito ut plurimum interficit, vel in ipso ictus momento, vel brevi post, confuso nimirum hinc seu vehementius commoto ac tenso fune medullari. Exemplo sit quidam Ioh. Nicolaus *Gesinger* Curienfis, qui ab ictu violentiore, Nuchæ inflicto, post nonnulla verba prolata aliosque leviores ac paucos motus atque gressus mortuus conciderat; cujus Cervicis articulatio adeo laxa observabatur, ut hic facile intorqueri & facies in dorsum converti potuerit, nihil vero luxationi analogum, sed Integumenta tantum cum Musculis multo cruore suffusa, comparuerint, prout d. 16 Nov. 1673. Nobis relatum, & Sententia nostra desuper rogata, fuit. Cui simile quid præstabat jactus, Cervici Magdal. Catharinæ *Mritschin* illatus, subitanea itidem hujus percussæ mortis causa: de quo *Dessavienfes* 26. Martii & 5. Octobr. 1685. nostrum Judicium postulabant.

*Luxatio unius
Vertebrae plus
nocet, quam
plurimum.*

*Conquassatio
Spinæ ali-
quando lethalis.*

Quibus ex *Pareo 15. c. 17.* addo illud Medullæ spinalis vitium, a variis pariter violentiis seu succussionibus eveniens, si nimirum illa ab immotis plane Spondylis divellatur abscedat atque concutiatur, i. e. simile quid Commotioni Cerebri sustineat: quale quid passos vix unquam reconvalescere, Idem Autor sentit. Pugna in Nucha percussum epilepticum evasisse, ipsemet recorder.

Objec.

Resp.

Quamvis enim v. g. ex *Hildano cent. 5. obs. 68.* thesi huic regeri queant exempla, duorum, qui ex luxatione vertebrarum lumbarium, misere satis, evaserint, i. e. satis diu adhuc vixerint; peculiaris tamen horum est ratio, asserto meo minus contraria. Quatenus in neutro horum unquam fecum & urinæ contigerat suppressio, per consequens nec adeo ingens medullæ compressio in his concipi poterat: imo rariores forsan sunt luxationum ejusmodi spinæ eventus, cum ipse *Hildanus* de posteriore fateatur, solius naturæ beneficio potissima symptomata remisisse.

Uterque Fractura

Deinde nec fracturæ spinæ a mortalitatis culpa semper immunes videntur, si nimirum hinc secedentia fragmenta medullam eousque subeant ac penetrent, ut eximi nequeant, adeoque vel comprimendo vel pungendo, hinc alia viscera nobiliora ac cerebrum in consensum trahendo, enecent: pari enim ratione fragmenta ejusmodi hic ajunt, ac in cerebrum agere eadem, superius dictum.

*Ruptura hujus
Vasorum san-
guineorum.*

Tertio cum ingentibus gaudeat arteriis sinibusque venosis idem funis medullaris, his vel per conquassationem tantum, vel per fracturam spinæ, ruptis vel vulnere discissis & cruore intra tubum spondylorum congesto, hic perinde, accerebro affusus, sanguis mortis causa evadit; i. e. tam comprimendo, quam putrescendo, spirituum hinc emanationes turbat; & quidem eo magis, quod pro eodem educendo haud suppetant instrumenta Chirurgica, qualia nihilominus in quibusdam casibus ars cerebro concessit satis commoda ac salutaria.

*Etiā ipsius
medullæ sub-
stantiæ.*

Demum quarto ipsius medullæ spinalis vulnera, quæ ejus summitatem seu principium in cervice, paulo profundius, afficiunt, imprimis transversalia, consensu omnium mortifera per se proclamantur, in specie *Foresti 6. obs. chir. 4. Fallop. de Vuln. in genere c. 4.* ideo quod partes subjacentes omnes si non sensu privent, motus nihilominus earum, v. g. diaphragmatis, thoracis, cordis &c. enormissime turbent & plane auferant. Dum vulnerata in hoc loco Medulla Spinali per Nervos ex eadem utrinque promanantes, nec ad musculos intercostales, nec Diaphragma, nec Cor &c. posthac emanant Spiritus animales, actionibus horum organorum ministrantes. Casum præsentis ne-

gōtū suppeditant *Acta Facultatis Nostræ* Anno 1641. de quadam Cultro latiore inter quartam & quintam Cervicis Vertebra[m] illata punctura profundiore, Cerebri hanc productionem vulnerante ac vulneratum septimo die enacante, hinc per se lethalis pronunciata. Ast inferioris ejus tractus, imprimis lumbaris, plagæ, a multis pro non mortalibus habentur, v. g. *Galeno de Sympt. caus. l. 1. c. 5.* ac *Sennerto pr. l. 5. part. 4. cap. 3.* ideo quod partium, quibus hujus nervi destinantur, sensu & motu, sine vitæ discrimine carere possumus, & v. g. inde contingens fecum alvi & urinæ incontinentia vitalitati nihil deroget. Alii circumspēctiores se gerentes distinctione, inter vulnera majora ac transversalia, & inter longitudinalia ac minora, negotium decidere conantur: illa per se lethalia, hæc minus, pronunciantes. Quibus denique accedit *Forestus*, qui punctum illata, ut ut minora, æque mortalia, ac majora quævis, ait.

Verum repetere hic mihi liceat ex sectione prima, utique aliquando vertebrarum thoracis inferiorum & lumbarium superiorum medullam quoque lethaliter vulnerari, & pro effato illo magis magisque confirmando exemplis, ^{Tam inferioris, quam superioris, ejus partis.} ibi recensitis, historiam ex *Panarol. pent. 5. obs. 7.* superaddo, famuli sc. cujusdam Cardinalis, qui globulo sclopeti minoris, quatuor digitis sub regione renum, per medium spinalis medullæ trajecto, vulneratus triginta post horas expiravit. Qualium vero hujus generis conditionum plagæ, qualium non, mortem per se inferant, difficile dictu: cum exempla illorum, qui hinc evaserint rarissima, & forsân a *Fallopio* tantum, si ab ullo, observata, referantur, ut dubius hæream, an quæ judicentur ac judicata fuerint in defunctis vulnera spinæ non lethalia, cum fundamento talia dicta fuerint, aut dicantur.

Quæ enim non lethalitatis causa vulgo venditur, quod a parte Medullæ thoracica & lumbari propullulantes nervi ad organa minus vitalia pertingant, sed ignobilioribus duntaxat spiritus pro sensu & motu communicent, quarum nihilominus functionum privatio, v. g. in retentione fecum atque urinæ læsa, mortem necessario haud inferat: ideo suspecta videri poterat, quod ea concessa nec transversalis & omnimoda præcisio partis Medullæ inferioris mortalis dici queat, quam tamen plerique talem asserunt, utpote quæ non plus damni, quam minores Nervi, scil. sensus & motus defectum, imprimeret. Plus Lucis nobis suggerit hoc in passu *Galenus 4. de loc. aff. cap. 3.* ubi ex luxatione vertebrarum medullam ac nervos modo tendi, modo comprimi, ab his vero partium resolutiones, ab illis spasmos seu convulsiones, emergere ait: cui ad stipulatur *Celsus l. 5. c. 26.* his verbis: *Medulla, quæ in spina est discussa, nervi*

resolvuntur aut distenduntur, item Pareus l. 9. c. 30. Spinalē medullam vulneratam testantur obortā convulsio aut paralyfis, urina & fecum citra voluntatem excretio, aut omnimoda suppressio. Quæ si vulneratæ non minus medullæ, ac propter luxationem spinæ male se habenti, applicentur; concederem equidem, quæ inferioris medullæ partis luxationes ac vulnera organorum paralyfes tantum comites adsciscunt, minime, quæ convulsiones, utique lethalia, præsumi debere, non tantum, quod urina & alvus hinc pertinacius supprimantur, quale eorum symptoma ut plurimum mortiferum præter Hippocratem l. a. experientia quotidiana testatur, sed quod cerebrum ac superiores partes quoque, si caudex spinalis non omnimode præcisus, simul in consensus spasmodicos rapiantur. Imo confirmant me in hac ætiologia reddenda non tantum exempla ex *Hildano* superius producta, ejusmodi subjectorum, quæ luxationem spinæ, haud restauratam, sine spasmodis, verum cum sola relaxatione sphincterum vesicæ, podicis ac crurum, salutarem experta fuerunt: Verum probabilitatem quoque haud exilem ipsi conciliat *Foresti* monitum, dum l. a. puncturas majoribus ejus vulneribus combinat: easque pari jure lethales judicari debere, ac hæc, asserit. Sine dubio, quod pari modo, ac nervorum puncturæ, spasmodis producendis aptiores, quam incisiones, existant. Imo denique quid impedit, quominus propter commercium, quod nervo intercostali cum vertebralibus inferioribus pariter ac superioribus intercedit, alia viscera, ventriculus, intestina tenuia, Lien &c. in consensus spasmodicos abripiantur lethales? dum vomitus quoque a læsæ medullæ portione lumbari evenire, in propatulo est, testaturque exemplum posterius ab *Hildano* communicatum.

*Etiam punctura
æ lethales,*

Illud ratione summitatis spinalis medullæ nunc ex *sect. 1.* denuo moneo, non tantum latiores ac transversales ejus incisiones, sed, ut modo de inferiore illius portione annotavi, puncturas quoque exiliores, mortem patrare, hinc, intuitu symptomatum, lethaliū nomen mereri: quod nemini adeo paradoxum existimari poterit, modo nervorum puncturas atrociora semper incisionibus majoribus movere pathemata, ac cerebrum cum toto corpore vehementius exagitare, attendat, sic enim facile, quid de nervo hoc totius corporis maximo, seu nervorum plurium fasciculo, expectandum sit, præsumet.

*Nervorum
quorundam
vulnera lethalia
sunt.*

Addo denique his judicium de Nervorum vulneribus, quæ pariter aliquando per se interficiunt, & quidem sub conditionibus sequentibus. Nempe primo læsiones illorum truncorum, qui organis vitalibus ministerium motus ac sensus, præstant, imprimis octavi seu vagi paris, intercostalis ac diaphragmatis: utpote qui præfecti respirationem, pulsus, & ventriculi aliorumque viscerum

viscerum, vitalitati litantium, functiones enormiter imminuunt ac tollunt; quadantenus saltem lacerati eisdem motus & actiones per spasmos gravissimos & in universales degenerantes, depravant. Quamvis enim trunci hi, mox ab exortu suo, aliquatenus vulnerati, cum aliis nervis partium externarum hoc commune videantur habere, ut per colli latera decurrentes topica medicamenta admittant: quia tamen hæc sæpe minus sufficiunt spasmorum interim, hinc concitatorum, violentia æque intenditur atque extenditur, ultimum vero remedium, sc. eorum amputatio hic nullum locum reperit, quod hæc facta sensus & motus in partibus vitalibus maxime destruat, ex situ hoc magis externo nihil aut parum lethalitatis vulneribus ejusmodi decedit, ut taceam, hunc adeo profundum esse, ut vel hujus ratione illorum præfectionem moliri temerarium satis videatur.

Præterea quamvis sine dubio celerius longe jugulet, si uterque recensitorum parium nervus simul afficiatur, nec ideo tamen alterius horum incisio, si ejus symptomata graviora atque pertinaciora, non lethalis auguranda, quasi per socium integrum restitui ac emendari queat, quod ab alterius vitio tollebatur ac depravabatur: obstat enim, quod nihilominus tantæ ac lethales ex lacerato uno nervo præcordiorum anxietates, palpitationes &c. evenerint, quibus nulla arte succurrere licuerit, sine dubio quod integritas nervi solitarii non suffecerit pro motibus illis vitalibus integris conservandis. In specie vero quoad spasmos a nervorum uno, quadantenus saltem læso, res evidentior est: quippe si unum membrum alterum, interdum satis remotum, ratione commercii nervorum, in consensum trahit, cur idem in ejusdem organi lateribus diversis non fiet? ut nimirum v. g. diaphragmatis pars, lienem spectans, ratione nervi sui, male se habentis, in convulsiones concitata, partem sui, epati contiguam, simul convellat, ideo quod nervi unius fibrillæ capillares ubique alterius furculis mire implicentur, hinc motuum irregularium stimulos invicem communicent. Quod quidem in Ventriculo ac reliquis abdominis visceribus promptius concipiendum, quatenus illius nervi paris vagi ante sui insertionem sibi aliquoties inosculantur, intercostalis vero propagines & plexus plurius in locis coeunt ac invicem communicant.

Deinde mortis insequenti causa immediata existunt quorumcunque illorum ramorum ac plexuum, profundiora atque interna corporis perreptantium, adeoque remedium congruorum usum respicientium, lacerationes aut puncturæ: si nempe doloribus, convulsionibus, febribus ac deliriis occasio fuerint & sub his ac cognatis symptomatis enecarint. Alia sententia erit fe-

Etiam solitariorum.

Item horum ramorum & plexuum.

*Imo forsan
artuum et-
iam.*

renda de artuum & habitus externi nervis horumque læsionibus & exin dependen-
tibus spasms, utpote quibus non unum remedii genus suppetit, quamvis
in intensiores ac universales spasmos conjiciant vulneratos. Anceps nihilo-
minus hæreo de illorum caudicibus, summitati humeri & femoris implanta-
tis, si ab harum incisionibus aut puncturis tale quid contigerit, miserumque
illæ enecaverint. Quippe ratione profundioris, quem obtinent, situs topico-
rum admotorum vis non penetrat, incisionibus vero iisdem viam parare, ob
grandiorem vasorum sanguineorum, incumbentium & accumbentium, pro-
pinqunitatem, temerarium admodum videtur. Si ad extremum seu ultimum
provoces auxilium, humeri sc. aut femoris extirpationem, & hoc plus auda-
ciæ, quam rationis, sapit consilium: ac operationem illam in hac artuum sum-
mitate, trunco adeo vicina, vix audebit Chirurgus prudentior, cui convul-
siones atroces atrocioribus ad motem usque cumulare religio est.

CAPVT III.

DE

COLLI VVLNERIBVS
LETHALIBVS.

*Quibus colli
partibus le-
thalia vulnera
contingant?*

Quatuor, præter spinam, partium genera in collo observantur, quarum
Plagæ frequentius funestos eventus habent: sc. Vasa illius sanguifera,
Nervi, Aspera Arteria & Gula: quamvis rarius contingat, unam earum soli-
tarie fauciari, cum sibi vicinæ maxime existant cunctæ; hinc lethalitas per con-
cursum plurium læsionum non raro intendatur.

*Vasis sangui-
feris.*

Arteriarum Carotidum ac Cervicalium, Venarum Iugularium internarum
& vertebralium diæreses impetuosas ac lethales excipere hæmorrhagias, nullo
auxilio coercibiles, *seçtione prima* indigitatum: ideo præprimis, quod ligatu-
ram strictiorem, comprimendis suis aperturis ac compefcendo sanguini ne-
cessariam, propter imminens hinc suffocationis & apoplexiæ periculum, su-
stinere nequeant. De jugularium externarum plagis mitius sit iudicium, ma-
joribus etiam, utpote quibus obturandis remedia Chirurgica suppetunt, &
M. A. Severinus Effic. Chir. de phlebot. c. 16. Horne in notis ad Botall. ac in Micro-

*Venarum ju-
gularium in-
ciso an iuta?*

techn. Hildan. cent. 4. obs. 14. & River. pr. l. 1. c. 2. venarum harum aperturam
diversorum Medicorum testimoniis pariter ac propria experientia approbant,
minimeque habet *Botallus*, cur de modo incid. venam &c. phlebotomiam hanc

Chirurg.

Chirurgis adeo disvadeat, aut timide fati concedat, quamvis nec quibusvis tonforibus committendam. Imo, quia immediate sub cute degunt, si non compressione, certe ligatura, earum incisiones constringere & eruptionem sanguinis reprimere licet, notante *Blanckart Collect. cent. 3. obs. 65.*

Plurium horum vasorum aliorumque organorum hujus loci simul sauciatōrum exempla frequentioris observationis sunt, ipseque testari possem: bina loco plurium sunt. Requisitus Anno 1672. 23. Octobris a Pratore Civitatis Nostræ inspexi cadaver adolescentuli 12. vel 13. annotum, cujus colli tota anterior facies a juvene nequissimo cultro lanionino eousque dilaniata erat, ut omnes hujus musculi, scil. Mastoidei, Sternothyroidei, Caracohyoidei, Trachea, Oesophagus, utraque Carotis, ambæ Venæ Jugulares internæ atque externæ ressecta comparuerint, hinc ex multis vulneribus una mors contigerit. Anno 1678. d. 28. Julii a quodam Militum Centurione postulatus, in pago proximo, Lindenau, iustravi vulnus, quod Pediti punctim illatum erat, ingens valde & ab antica colli parte, sub mento, per integumenta ac musculos, sub auricula dextra, versus cervicem penetrans, quodque utrumque musculum Sernohyoideum & Sternothyroideum, dextrum Coracohyoideum & Mastoideum, ejusdem lateris Venam jugularem internam & externam, Carotidem ac Nervum Octavi paris, imo cum ensis, (for san dum retraheretur) inter Os Hyoidis & Laryngem retrorsum declinaverat, summitatem simul Gulæ totam fere, ressecuerat. Quibus ex Responsis Facultatis Nostræ adoplagam, Wittenbergæ 1668. 9. Martii cuidam casum inflictam, & a cervice sub aure sinistra atque maxilla ad colli anteriora declinantem: qua cum musculis accumbentibus vena jugularis externa tota per transversum, interna vero ac Carotis cum Vertebra Cervicis secunda ad medietatem discissa hujusque medulla simul tacta cernebatur, a cujus enormiore hæmorrhagia vulneratus altero die succubuerat.

Quia vero rariora existunt exempla, ubi unum seu solitarium horum colli vasorum lethaliter laceratur, casum, ad Nos pariter Jussu Serenissimi Ducis Mechlenburgensis An. 1685. 10. Julii transmissum, referam. Fabri nempe ferrarii servi collum parte antica cultro d. 25. Novemb. anni præcedentis perfoditur, unde hæmorrhagia insignis, ac nullis remediis, nisi cauterio actuali, cedens, eveniebat: eschara vero 7. Decembris recedente & fluore sanguinis recrudescente 14. ejusdem sauciatus fati cedebat. Cadaver, dum perlustrabatur, Vena jugularis interna, ad duorum digitorum latitudinem sub maxilla inferiore, oblique incisa cernebatur, floris cruenti lethalis autor: musculi vero ad siti a sanguine post

post escharam inductam, extravasato, congesto ac putrescente jamdum corruptionem notabilem contraxerant. A certo quodam Collegio Medico punctura hæc per accidens tantum lethalis judicabatur, quod læsus ad decimum nonum usque diem vixerit, nullaq; primis diebus graviora, nisi lipethymias, (hæmorrhagiæ potius, quàm vulneri adscribendas,) symptomata passus fuerit, ac ex commotione demum animi vehementiore hæmorrhagiæ recidiva cum febre supervenerit &c. Quibus nihilominus haud obstantibus & satis declinatis argumentis, Facultas Nostra Medici ac Chirurgi de Vulnere Inspectione deponentium, sententiæ adstipulabatur, utique lethalem per se illam asserens.

Nervorum, per collum decurrentium, Vulnera quæ & cur mortifera sint, *capite præced.* innui. Asperæ arteriæ plagas vero quod concernit, cadunt hæc vel in partem ejus externam, vel in internam, seu sub jugulo reconditam. Bronchi externi incisiones, majores ac cartilagineos illius circellos lacerantes, difficillime consolidari, in propatulo est, coalescere nihilominus aliquando si non per se, certe, per intermedium callum, imo ligamenta illa carneomembranea, cartilaginibus interjecta, *excrecentiis* suis, quamvis relicta post se raucedine, has incisuras obturare, adeoque majores etiam fistulæ hujus spiritalis hiatus coire, testantur *Joubertus de affect. thorac. cap. 1. per Albucasis, Avenzoaris & propriam experientiam Brasavola in Hippocr. de rat. victus acut. 2. f. 35.* (qui magnam annulorum, ad numerum quinarium, anteriorem partem lamina ferrea dilaceratam, ac sanatam vidit) *Pareus lib. 9. cap. 29. Tulpus lib. 1. obs. 50. Bartholinus Cent. 5. hist. 89. Timæus Respons. 14. & Blankart Collect. cent. 4. obs. 47.* Neque audiendus erit *Jacotius in Hippocr. Coac. lib. 1. sect. 3. aph. 16. & Forestus 6. obs. Chir. 4.* qui majores ejus incisiones lethales ajunt, utpote quibus allegati *Jouberti, Brasavola, Tulpus & Blankarti* historię contradicunt.

Coalitum horum Trachæ Vulnerum Suturam proprie sic dictam juvare, *Petrus von der Stille Chir. part. 2. tr. 4. cap. 14. Pareus lib. 9. c. 29. Pigraus Chir. 1. 4. cap. 12. ac Bartholin. 5. hist. 89.* testantur, quemadmodum suturam per glutinum, *Tulpus 1. obs. 50:* casu nihilominus & sine ejusmodi med. la quosdam, quibus canalis ille profunde satis præcisus, eundem *Pareum & Pigraum* l. a. perhibere *Seç. 1. c. 2.* innui: quorum relationibus, quod ad me ab amico in simili Casu transcriptum erat, adnectebam.

Quin tamen percussiones seu contusiones cartilaginum Laryngis, maxime Arythænoidearum, aliquando per se mortem inferant, haud ambigo, si

nimi-

Tracheæ sum-
mitatis Vul-
nera.

Etiam carti-
laginum, sa-
nata.

Cartilaginum
Laryngis per-

nimirum per ictum violentiorem earum connexio laxior eousque turbetur, ut sibi propius adactæ seu arctius conniventes Glottidem eousque claudant, quo inspiratio & expiratio inhibeatur, illis vero diducendis haud suppetant remedia.

Tracheæ autem sub claviculis & in thorace reconditæ vulnera ut plurimum suffocando enecant, hinc sub tali circumstantia per se lethalia dici debent, quod ars naturam in consolidando juvare nequeat, soli vero hujus robori commissa opera, quorum successus incerti, iudicio super lethalitate enunciando normam suppeditare haud valent, cum non de hujus, sed de artis potentia, ubi de Lethalitate deponendum, quæstio sit: alias vulnus illud *Asperæ Arteriæ ac Venæ jugularis Pareus l. a. præter expectationem & divino potius favore, quam arte, sanatum fuisse, non scripisset.* Symptoma siquidem inde emergens tantum est, ut ei per unam alteramve horam sustinendo minus par sit principium nostrum vitale, brevi hinc suffocationi obnoxium: quippe enormiter hinc turbatur respiratio, quatenus aer externus pulmonum cavernosam compagem minime subit, sed ad pectoris cavum depositus illos non tantum non distendit, sed undiq; etiam comprimit. Quam circumstantiam cum vulgo non attenderint, factum, ut ad canalis hujus coalitionis possibilitatem tantum respicientes, errorem non exiguum commiserint ejusmodi vulnera minus lethalia decernentes.

Gulæ denique seu fistulæ cibariæ vulnera penetrantia, pariter modo lethalia, modo minus talia, ut accuratius discernantur, attendendum puto, alia canali huic evenire adhuc intra collum constituto & ab hujus organæ reliquis stipato, alia, ubi per cavitatem thoracis & per diaphragma ad ventriculum dimittitur; item, quædam horum esse majora, quædam minora. Quo supposito exiliora & summitati ejus, cervici accumbenti, illata vix unquam morti exponere, probabile fit: quatenus vel ratione exiguitatis parum inflammationis ac doloris metuendum, aut, quod ejus supervenit, gulæ quidem functionem turbat, imo forsan aliquando interpellat, frustratio tamen hæc non tanta, quin ad unum alterumve diem eam sine certo vitæ dispendio sustinere queamus: Nec per vulnus hoc elabentia deglutita spatia aliena subintrant & in his putredinem concipiunt: remedia denique satis commode hic applicare conceditur. Et ne sine experientia merus theoreticus prodeam, ex *Schenckio Bonacursi* observationem hujus loci faciam, qui quendam, carceribus detentum, postquam sibi gulam, qua parte tracheam spectat, sauciarat & hiatum digito eousque ampliarat, ut per ipsum medicamenta cum alimentis

cussiones alii quando lethales.

Vulnera aspera arteria partis interna, seu inferioris, sunt lethalia.

Gula Vulnera qua lethalia?

Non partis externa.

tis transmitterentur, paucis diebus sanatum narrat. Ejusdem generis est historia, quam *Pigræus Epit. Med. Chirurg. lib. 4. cap. 12.* refert. Sc. in sylva duo juvenes a latronibus jugulabantur, quorum unus mortuus, alter se mortuum ad aliquod tempus simulavit, maximo largissimoque vulnere in faucibus accepto, ab una enim jugularium externarum incipiens ad partis adversæ alteram desinebat ita tamen, ut illæ minime offenderentur. Missus proin a Regina, de eo certiore facta, *Pigræus* miserum illum præ gravi vulnere jacentem reperit, capite demisso equidem loquentem, sed eo elato aerem per vulnus expirantem & aphonum. Ut mali magnitudinem melius dignosceret, lac ipsi bibendum dedit, quod per vulnus effluebat, supinus vero cum hoc hauriret miser, ad stomachum descendebat, ita ut œsophagum haud omnino rescissum esse, colligeret. Quo viso idem Scriptor futura valida ac firma plagam se firmiter conjunxisse & per viginti duos dies lacte tantum, resupino semper collo hauriendo, cum aluisse ait: donec postmodum solidioribus vesici cœperit & vulnus, ad exilioris tantum foraminis circa tracheam, remanentiam, coaluerit.

Sed interna.

Verum si interior, seu in thorace delitescens, gulæ portio pertundatur & quidem vulnere paulo majore, nulla quia medicamenta nec Chirurgiam admittit, alimentis vel transitum ad stomachum, ratione tumoris ac doloris denegat, vel ad cavitatem pectoris assumpta transponit, in qua, tanquam loco sibi alieno, computrescendo symptomata lethalia patrant: vulnere per se lethali deficere dici debet æger.

Cur transver-
salia œsophagi
vulnera longi-
tudinalibus
periculosiora?

Communiter addunt, incisiones gulæ transversales longitudinalibus graviore esse, v. g. *Sævus de Inspect. Vuln. part. 2. pag. 17.* qui tamen ratione vera videtur destitui, dum juxta Doctrinam *Vesalii* exteriorem seu carneam gulæ tunicam ex fibris transversalibus, internam seu nerveam ex rectis contextam putat. Docet quippe cum *Fallopio* & *Fabr. ab Aquapendente* autopfia præter tunicam interiorem nerveam, ex fibris longitudinalibus coagmentatam, carneam duplicis fibrarum strati, in subjectis humanis reperiri: quorum exterius ex staminarum rectarum manipulis crassioribus, interius ex transversalium circulis tenerioribus paratum: ita ut ex transversis simplicioribus ac tenuioribus fibris, secundum tractum gulæ discissis, minor metuenda sit vulneris apertura, quam ex longitudinalibus, internis pariter ac externis, lacertatis.

CAPVT IV.

DE

THORACIS VVLNERIBVS
LETHALIBVS.

IN Thorace præter Spinam diversa pariter observantur membra, quorum plagas excipiens mors his, ut causæ per se, adscribitur: nempe Cor cum suis vasīs, Arteriæ & Venæ Mammariæ atque Azygos, Pulmones, Ductus Thoracicus, Diaphragma & Nervi Intercoſtales, Phrenici ac Octavi paris. Ast horum organorum integumentis externis seu testudini Carne-oſſeæ aliquando vulnera per se mortalia contingere poſſe, nemini Scriptorum unquam in mentem venit: ita ut de his exclamandum veniat, quod de eorum Chirurgia facit *Guido de Vuln. ſpec. cura. cap. 5. De Vulnere thoracis, magnum eſt mirabile, quia ita parum de iſtis maxime, quantum ad membra continentia, invenimus tractatum a Galeno, neque ab Halyabate, neque ab Avicenna &c.* Nec ideo ullum eorum reprehendendum eſſe, pluribus perſuaſum videtur, qui ſc. partium harum externarum uſum & actionem ad vitam non adeo neceſſariam concipiunt, id eſt, cum *Sennerto noſtro* pulmones proprio motu, non ad dilatationem thoracis, extendi &c. putant: qualis nihilominus generis homines, dum veteribus cauſam dicere, haud reſiſti, annituntur, Principi Medicorum & Antiquiori longe Doctori, *Galeno*, contradicunt, qui hinc inde in ſuis Commentariis, v. g. *lib. 2. de Hippocr. & Platonis decretis c. 6. de Cauſis Reſpirat. c. 2. 6. de Uſu Partium c. 10. ac de Motu Thorac. & Pulmon. c. 1.* Nullum pulmones innatum habere motum, ſed ſemper indigere thorace ad motum, item, *Pulmonis dilatationem & contractionem thoracem gubernare*, magna animi contentione aſſerit. Quibus ita ſe habentibus, id eſt functione thoracis ambitus ad vitam immediate neceſſaria, inferendum puto aliquando, majora thoracis vulnera, quibus illa eoſque turbatur, ut brevi hinc ſuffocetur vulneratus, lethalibus per ſe non minus accenſeri debere, ac ſi a mole majore, thoraci incumbente, quis interficiatur, ſeu comprimendo ſuffocetur.

Etiam thoracis integumentorum quædam vulnera ſunt lethalia. Pulmones motum thoracis ſequuntur.

Quotidie equidem pectus perfoſſum, modo interanea illius intacta maneat, consolidari, obſervamus & infinita forſan vulnerum ejuſmodi ſanatorum ex ſcriptoribus corradere poſſem; Majorum tamen & latiorum, i. e. a quibus motus thoracis ac pulmonum inſigniter læſus, aliquod ſalutare penes neminem legere aut obſervare mihi datum; proin & cum cauſalitas horum ſuffocatoria

catoria evidens maxime, donec resectionem v. g. quatuor vel pluriam costarum, harumque interstitiorum coaluisse audiam, vulnera ejusmodi lethalia verebor, confirmantibus idem animalium vivorum sectione, hujus phænomeni experiendi gratia administrata, & *Galenii* dogmate *Sectione Prima ex 6. de Usu Part. c. 3.* allegato. Urget quippe maxime Respirationis necessitas, neque tamen vel futura, vel glutine, vel deligatione, labia ejusmodi hiatusum fortuitorum sibi adducere & combinare concessum, quin thoracis motus, vel impetuosior in hunc conatus, qualem in pectore sauciatis experimur, hoc interpellat atque inhibeat, expiret vero interim percussus.

An unum solummodo thoracis latus vulneratum tantum exiti præstet, dubitare jubent eadem *Galenii* verba, dum a magnis vulneribus in alteram thoracis partem penetrantibus, animal repente dimidio tantum respirationis multari, tunc vero demum eadem omnimode destitui, ait, si cavitas illius utraque fuerit perfossa. Verum eo ipso, dum dimidium seu residuum illud respirationis sanguinis oscillationi vitali aliquandiu continuandæ non sufficit, i. e. unius lateris pulmo vix tantum elateris aerei suppeditat, quantum viribus totius perpetuandis dimensum: brevi forsitan quoque hinc destruetur & cessabit functio vitalis tota, a febre acuta, necessario superveniente, simul enormiter conturbata. Imo quid dicendum erit de vulnere unius lateris insigniore, mediastinum simul perforante, hinc per aeris utrinque incongruam irruentiam utriusque pulmonis explicatione inspiratoria cohibita?

Etiam fracturæ costarum aliquando lethales sunt.

Idem vel simile fatum truculentum aliquando observatur Fracturarum costarum, i. e. nec hæc mortis, nec percussor forsitan homicidii, culpa semper solvi poterunt. Si Scriptorum super hoc assertum suffragia forent petenda, nullum plane, qui lethalitatem hanc suspicetur, offenderem: aliquando equidem has fracturas periculosas, non tamen per se lethales, dicentium v. g. *Hippocratis de artic. l. 51. & 52. item 5. epid. t. 13. Galeni in Hipp. de artic. Celsi lib. 8. cap. 9. Epiphani. Ferdinand. Hist. 64. Forest. 8. obs. Chir. 6. & Sennert. pr. l. 2. part. 2. c. 25.* Ast cum de vita & spiritu hominis ferenda sit sententia, rem non sola autoritate decernere, sed penitius disquirere, conveniet: potissimum cum inter Jureconsultos *Marium Giurbam Consil. 17. §. 17.* ipsa hæc Medicorum dogmata seduxerint, ut Costarum fracturas læsionum per se mortalium classe exemerit, firmatum consensu *Capollæ lib. 3. Consil. 61.* Quem tamen loco allegato nequiquam de fractura costarum lethali aut non lethali differere, sed tantum, ex contusionibus vel ictibus illarum, quarum ossa durissima, instrumento obtuso fieri posse læsionem mortalem, negare, si non *Giurba*, verum ipsius *Capollæ*, verbis fidem adhibeamus, constabit.

Sc. non unius alteriusve, sed plurium simul costarum, ut ex superius seu in *Plurium sc. si*
sect. 1. allatis observationibus suppono, *κατάγμα καυληδόν* ac *σύντρισμα* mor- *mul.*
 talia videntur: quod nullum vel ipsamet, vel ltrangulatio hinc imminens, ad-
 quatum admittant remedium: Sive enim fracturas has concipias cum fragmen- *Quoniam non*
 torum secessu, sive horum contiguitate: illis tamen si ad interiora ferantur, *reponi possunt.*
 nec reducendis, nec reductis conservandis, ars semper sufficit. Quemad-
 modum enim harum fracturam quamlibet, sic ingentem quoque seu pluri-
 um costarum, mox carniū seu integumentorum inflatio, ab aere pectoris
 intrinseco erumpente, excipit, ita sine dubio hæc impedit, quo minus restitui
 vel componi possint illarum extrema reponenda. Quippe non fiet hoc per
 spiritus retentionem ac tussim, cum aer internus, a quo motum illum reducto-
 rium expectemus, costarum & pleuræ ambitum elabens, illas haud elevet:
 manui reponenti rarissime conceditur locus, prout omnes Chirurgi peritio-
 res asserunt; & quidem multo minus, si ejusmodi carniū secessus & intum-
 mescentia adsit. Nec *Vesalii, Parei & E. Ferdinandi* glutinosum aut con-
 strictivum Emplastrum tantæ semper observatur efficacæ, ut impetuosis
 avulsum costarum fragmenta depressa attollat, si illa integumentis exter-
 nis non fuerint continua, adeoque nec cum cute attolli queant: neque de-
 mum ultimum illud *Parei* aliorumque remedium, integumentorum nempe
 incisio & per vulnus cum hamulis similibusque instrumentis adornanda costæ
 elevatio, ubi plures fuerint fractæ, rei difficultati proportionatum observatur.
 Adaptatis vero costarum fragmentis continendis haud semper suppetere en-
 cheirises, experti fatebuntur, cum quæ uni vel alteri, costi firmandæ sufficiat *Nec restaura-*
 mediocris deligatio pluribus non sit adæquata, strictiorem autem non ferant *tæ contineri.*
 anxiosi & vix anhelantes ejusmodi miseri. Vno verbo, si *Pareus lib. 13. c. 11.* unius
 costæ fracturam ad interiora vergentem, propterea, *quod membranam costalem*
purgat, inflammationem excitet, in empyema facile desituram, nec tam facile
restitui queat, ideo, quod libere & plene absolvi nequeant in hoc fracturæ genere,
quæ sunt ad restitutionem necessaria, nempe trahere, continere, impellere, seu
adjungere curatu difficillimam pronuntiat: quid de quinque, sex vel pluri-
 um costarum, effractura ominabimur? Habent siquidem pauciores ruptæ hoc
 beneficium, ut harum parastata integræ ipsis instar ferularum sint, quæ pariter,
 ac in cubito radium fractum ulna, aut in tibia hujus os fibulam fractam, seu
 vice versa, eas ita detinent, ut fragmenta earum sibi contigua mancant, dislo-
 cationem costarum ruptarum vicinarum impediunt ac repositis firmamento
 sint: quali destituuntur plures idem fatum expertæ. De cætero sicut aerem
 thora-

thoracis internum virtute sua elastica pulmonum compressionem & expirationem multum juvare, ex fundamentis physiologicis suppono; ita dum extra claustra sua naturalia sub inflatione integumentorum externorum, magis tensibilem, idem erumpit, spiram ejus valde dilatari seu fatiscere, adeoque expirationis quoque motum enormiter gravari, probabile fit.

Comprobare hanc Fracturæ Costarum Lethalitem puto Casum 22. Julii 1689. Facultatis Nostræ judicio expositum: Vbi quidam Nobilis, fustibus agitatus ac de exquisitissimis doloribus lateris dextri conquestus sexto a percussione facta die obierat, in cujus cadavere dissecto quatuor Costæ inferiores diffractæ cernebantur. Quam læsionem, in specie Costarum, nominatum Collegium per se & absolute lethalem, cui nulla arte mederi concessum, quæ Pleuritidem incurabilem induxerit, Respirationem ad Suffocationem turbantem, enūciabat: quamvis nihil remediorum, nec Venæ sectio quidem, fuerit administrata, nec Sanguinis extravasati, qualis nihilominus ex Vasis Intercoastalibus simul ruptis probabiliter prodierat, ulla mentio facta fuerit. vid. sect. 1. cap. 3.

Verum quemadmodum meam hanc de Thoracis integumentorum percussionibus opinionem nemini obtrudere audeo, ita & illos, qui huic suffragantur, monitos volo, ut illam, casibus specialioribus applicantes, circumspecte agant, & quas vel mihi, primum tale quid proponenti, non licuit innuere ac determinare, circumstantias amore Publici ac Iustitiæ suppleant, vel me devium ea, qua Viros honestos decet, modestia ad rectam magis viam reducant.

*Cordis Vuln-
era lethalia.*

Ego interiora Pectoris nunc aggredior, ubi primo occurrit Cor, cujus Plagas, si vel alterutrum aut utrumque ventriculum penetrent, vel Vasorum Coronariorum aliquod lacerent, per se mortales periti æque ac imperiti judicant: illas quidem non, quasi animæ sensitivæ altithronium, caloris innati

*Cur Ventricu-
lorum.*

sed quod sanguine per easdem profuso ejus influxus vitalis ad totum intercipiatur; hæc vero, quod per hæmorrhagiam horum vasorum, satis equidem particularem, ipsi Cordis compagi musculosæ vitalitas atque activitas subtrahatur, adeoque hoc inde languescens in officio publico expediundo deficiat. Pariter si, intactis his

*Cur Vasorum
coronariorum.*

*Etiam Vulne-
ra Substantie
Cordis sunt
lethalia.*

ventriculis & vasis propriis, substantia tantum ejus exterior sauciatur, utut sub tali fato ad triduum, quatrimum &c. aliquando supervivant tale quid perpassi, casus nihilominus & hic inter ut plurimum, adeoque inter per se, lethales, referri debet, annuente *Vido Vidio lib. 7. de curat. membr. cap. 7. & confirman-*

firmantibus idem historiis, productis a *Pareo lib. 9. cap. 30. Horstio lib. 11. obs. 18. H. ab. Heer. obs. 11. atque Joh. van Meekren. obs. chir. 32.* Non potest enim fieri, quin musculi hujus propulsoris actio maxime vitalis a fibrarum ejus spiraliū uno vel altero fasciculo præfecto notabiliter turbetur, cui tamen symptomati maxime urgenti ejusque causæ nulla chirurgia, ob loci seu situs profunditatem motumque cordis perpetuum, mederi licet: Et sine dubio evidentior erit lethalitas Lacerationis majoris, v. g. juxta *Heer* baseos æque ac conī simul; septum utrique ventriculo intermedium, annotante *Horstio & van Meekren*, penetrantis; aut juxta *Parcum* cum magna sanguinis profusione seu insigniorum Ramorum Coronariorum discissione contingentis.

Atque hæc quidem Cordis vulnera modo repente interficiunt, sc. perforantia alterutrum vel utrumque ejus thalamum, modo tardius post aliquot demum horas ac dies, nimirum carnem tantum & vasa ejus coronaria lacerantia: quatenus in illis non tantum Circulationis Antlia, seu organum movens, rumpitur, sed sanguis quoque dispensandus, antequam canales adæquatos subeat, profunditur; in his moventis tantum textura laceratur, hincque ejus impetus retunditur. Unde paradoxum maxime & inter miracula pathologico-anatomica referendum, quosdam perforatis illis ventriculis plures horas, imo dies supervixisse, v. g. Ventriculo dextro *Naucerum*, quinto demum die fatis cedentem, | *cujus Barthol. cent. 1. hist. 77. meminit, item Civem illum Pariensensem, eodem demum tempore mortuum, de quo Blegni Zodiac. Gall. ann. 2. April. Obs. 10. videatur. Eodem Ventriculo dextro Vigiliarum cujusdam Magistri servum transfossū quartum diem supervixisse Miscell. Curios. Decur. 2. ann. 3. obs. 113, Rusticum, similem puncturam sustinentem septimum attigisse, obs. 114. testantur: Militem ex vulnere ejusdem ventriculi die decimo sexto demum obiisse, tabula pensilis, in Bibliotheca Academia Gröningensis suspensa, tradit. Franciscam a Tulpha, quæ quamvis præter alia Vulnera duo in dextrum sinum penetrantia exceperit, ultimum nihilominus halitum ad quartum usque diem compressisse Panarolus pent. 5. obs. 45. annotavit: item juvenem ad nonum usque, cum non adeo magna hæmorrhagia, mente sana, motu cordis satis valido, tussicula ad juvandam sanguinis excretionem voluntaria, nec sine omni alimentorum usu, ad decimum usque, refert Diemerbrock. anat. l. 2. c. 6. ad vigesimum tertium, ex communic. J. B. Fontani Bonnet. Sepulchr. lib. 4. f. 3. obs. 23. §. 12. Septimo post ictum demum die quendam, cui Cordis basis cum cono per insignem lacerationem, duobus sclopeti globis, transverberata, mortuum H. ab Heer. obs. 11. perhibet. Quemadmodum*

Quidam transfossis ventriculis cordis diu satis superstites manent.

dum eodem loco narrat, quendam, cujus Cor quaternis bombardæ globis perfoſſum, nihilominus quintum diem ſupervixiſſe. Nolo hujus loci facere, quæ de Cervo, poſt dextrum, ventriculum glande plumbea a Sereniſſima Electrice Brandenburgica olim trajectum, inſtar mortui proſtrato & poſt tres horæ quadrantes quatuor circiter millia paſſuum auſugiente, ex *Differtatione* 1687. *Francofurti ad Viadrum* habita, legimus: Cum præſto ſint illorum exempla, qui perfoſſo utroque ventriculo ſatis diu ſuperſtites permanſerint, v. g. Studioſus ille Ingolſtadienſis, quem vulneratum plateæ ſatis longæ ſpatium curſus confeſiſſe, mente porro & ſenſibus integerrimis per horam fere integram conſtituiſſe, ex obſervatis *Cyriaci Lucii* narrat *Bonnet. l. a. §. 16.* item juvenis, ſimili ratione ſauciatus, quinta demum hora expirans, de quo *Miſcell. Curioſ. Dec. 2. ann. 2. obſ. 188.* videantur; ut *Jacotium in Hipp. Coac. & Th. a Veiga in Galen. de loc. aff.* taceam cervam quandam ſagittam, ex longo tempore cordi infixam, geſtaſſe, perhibentes, item Cordis porcini, cui bacillus acutus ante ſemestre tranſfixus inhærebat, quod penes *Platerum* ſe vi-diſſe *H. ab Heer l. a.* aſſerit.

Quæ ſimilesve hiſtoriæ, quamvis raro contingentiſſimis merito accenſentur & fundamentis anatomico-pathologicis ponendis minus adæquatæ ſint, earum nihilominus aliquas ætiologias ex circumſtantiis, iis combinatis, reddere, non adeo forſan difficile erit. Nimirum probabile eſt, quorundam ejuſmodi ſauciatorum vitam protrahi *primò* ab exilitate plægæ, ut de ſuo vulnerato ſuſpicatur *Diemerbrock. loc. alleg.* & experientia Zootomiæ vivorum incumbentiſſimis comprobatur, dum acus ſimileve inſtrumentum pungens, ventriculis cordis adactum, parum ſanguinis educit, & *Glandorpio Specul. Chir. cap 38.* teſte, cuniculus, cujus cor *Sanctorius* inſtrumento acuto perforatur, vivus nihilominus ad multos meſes permanſit: quatenus paucæ admodum organi hujus fibræ per puncturam lacerantur, ſed leviter tantum divelluntur, quæ extracto inſtrumento pungente priſtinum ſitum & habitudinem facile repetunt. *Deinde* corde vulnerati terminum vitæ ultimum ſuſſaminare videtur ipſemet ſpecialis magis locus, per quem ſubintratur inſtrumentum lædens: dum idem *Diemerbrock. l. a.* præter vulneris anguſtiam in caſu ſibi obſervato rationem hanc putat, quod ſuperiori ventriculi parti, inter valvulas, fuerit illatum, ita ut in conſtrictione cordis omnis ventriculi dextri ſanguis per vulnus non mox expelli valuerit. *Tertiò*, quemadmodum aliquando obſervamus enſe tranſfoſſos, quamdiu hunc intra vulnus gerunt, haud adeo repentinam experiri ſyncopen, vel mox concidere, extracto telo ſtatim cum ſanguine animam di-

mittere:

Cur quidam
poſt vulnera
cordis non ſtatim moriantur?

mittere : sic a ratione vix omnino alienum, in corde simile quid aliquando fieri posse, ita ut non adeo paradoxum censeretur, quod *Jacotius* & *a Veiga* de cerva a longo tempore sagittam, & *H. ab Heer* de porco baculum cordi infixum gestante, scribunt, cum eadem instrumenta quas puncturas parabant, obturarint; neque illud, quod de acu dextro cordis vaccini ventriculo transversim infixaque rubigine conferruminata ex observatione *Celeberrimi Anatomici du Vernay*, *Peyerus parerg. anat. med 3. c. 6.* refert. Imo probabile est, simile aliquando a grumo quoque sanguinis fieri posse, ut in *Parifino* illo, sub finem demum quinti diei ex vulnere dextri sinus mortuo, cujus superius ex *Zodiac. Gall.* memini, annotarat Chirurgus, qui cadaveris sectionem administraverat, *vid. Blegni l. a. mens. Junii obs. 6.* quamvis non dubitem, huic casui, quæ modo ex *Diemerbrockio* prolata, quoque applicari posse, cum immediate pariter sub auricula ictus ventriculum subintravit. *Quarto* hujus generis concipienda obliquitas vulneris, qualem in *Naclero* suo causam auguratur *Th. Bartholin. l. a. cur adeo diu in hoc interrupta persistit sanguinis & vitæ chorea.* *Quinto* Auctor Observationis 113. *Miscel. Curios.* alleg. in seruo illo, cujus vulnus Cordis Ventriculi descripsit, individuale ac peculiare sibi concipit texturæ robur, per quod post acceptam plagam in fibris Cordis nihilominus tantus remanserit vigor, ut sese a cono ad basin contrahentes sub systole vulneris labia simul constrinxerint, liberumque Sanguini in Arteriam pulmonalem impulsum concesserint: fibris vero iisdem relaxatis Cordeque ad diastolen seu pristinum statum redeunte hiantes Ventriculi a venis denuo sufficienter adimpleti fuerint, donec doloris ex vulnere sensus fibris illis seu compagi cordis magis communicatus paulatim defecerit Machinæ hujus vitalis motus &c. Nec denique a verisimilitudine procul abest, singularem quandoque cordis fabricam mortem necessariam interpellare: quatenus, observante *Job. van Meekren l. a.* quidam corde vulneratus sextum diem ideo supervixerat, quod organum hoc, pericardio suo hinc inde alligatum, motus suos minus libere exercere, hinc nec sanguinem adeo pleno rivo projicere, potuerit. Et si nec improbable videatur, ideo Vulnus hoc Cordis tardius enecasse, quod neutrum horum Ventriculorum perforavit, sed Septum tantum his intermedium in Basi cordis læserit, ut ex Exemplari Belgico (non Latino) perspicuum est: adeoque non flumine mox præcipiti, sed lenta magis stilla, sanguis ex hoc Viscere promanavit.

*An pericardii
vulnera sint
lethalia?*

Antequam Cordis vulnera dimittam, ratione hujus involucri notetur, ejus plagas a *Rondeletio de dignosc. morbis c. 21.* & *F. ab Aquapend. Chirurg. l. 7. c. 21.* semper, a *Suevio part. 2. c. 8.* aliquando, lethales judicari, si tantæ fuerint, per quas humor ejus serofus omnimode effluat: Eo ipso tamen, dum horum posterior cum aliis supponit, humorem pericardii secundum naturam colligi singularemque usum cordi ac toti præstare, ita quidem, ut ejus defectum & profusionem hæctica excipiat; de his vero dubitare jubet sana ratio: nec ætiologiam lethalitatis hujus (si qua est) admittere conveniet. Sc. non immerito cum *Vesalio, Th. a Veiga, Mattheo Curtio, Lindano &c.* dubito, an fluidum hoc corporibus vivis & secundum naturam constitutis, ut pars integralis, insit? cum *R. Columbi* autopsia in animalibus vivis facta, tale quid minime evincat: vel quod nihil, aut parum ejus sub extispicio hoc compareat, vel quod, si compareat, in mortis potius articulo & sub illis anxietatibus, quibus animal per aperturam pectoris exponitur, congeratur, quod ante non existerat. Videtur enim serum hoc in se quidem succus laudabilis & naturalis, ast situ peccans & per motus cordis impetuosiores ac circulationem per pulmones impeditam p. n. secretus: pari modo, ac in corporis partibus diversis arte talem seri congestum parare licet, circulo nempe sanguinis per vincula, venis injecta, intercepto. Adeoque non mirum, in cunctis, quocunque morbo, defunctis illud reperiri, utpote quibus in agone ad minimum respiratio & circulatio per pulmones fatiscit: copiosius tamen in his, qui ex hydrope, asthma, phthisi similive pathemate strangulatorio peribant, ita ut in phthisico ejus uncias quinque *J. D. Horstius Obs. anat. 18.* testetur. Qui violenta morte pereunt, quia pariter vel aquis submerguntur & strangulantur, vel confossi & decollati, i. e. sine notabili circulationis turbatione expirant: non in his, sed in illis tantum, lympham hanc cardiacam animadvertere licet, ut aliquoties, in publicis æque ac privatis sectionibus, ostendi.

*Causa vulnerum pericardii
lethalium.*

Quodsi proin ex lacerato insigniter pericardio quendam obire contingat, imputandum hoc erit vel continuitati, quæ ipsi cum diaphragmatis parte tendinea intercedit, vulnere ejusmodi solutæ, hincque respirationi turbatæ, vel inflammationi, cui saccus hic membraneus cum partibus, quibus continuus existit, exponitur, vel aeris forsân contactui, cordi minus proportionato, hoc erit tribuendum. Priori ætiologiæ causam dicit *Antonius Algiate*, quem ablata parte pericardii quidem sanatum, suspiria tamen alta duxisse, nec multis annis supervivisse, ex *Cardano Schenckius* refert: inflammationem vero harum partium mortalem existere, cur mirabimur? Quemadmodum denique

que Cordis texturam ab aere per vulnus pericardii subintrante ad corruptionem repentinam satis alterari, probabile reddunt, intestina, omentum, pulmones aliaque organa, extra ventres suos devoluta & ab atmosphæra mox in sphacelum congesta.

Et quæ contra hanc vulnerum Pericardii Lethalitatem assertam adducuntur, v. g. ex *Benivenio de abdit. morb. caus.* & *Cardano ad Hipp. 6. aph. 18.* parum movere poterunt, quod meris conjecturis innitantur. Quamvis vix concipi vel fieri queat, Folliculum hunc Cordis sine partium aliarum circumstantium aut adsitaram læsione vulnerari, adeoq; de habitudine ejusmodi plagæ solitaria vix unquam disquiri, quin lacerata simul fuerint Vasa, Intercostalia, Mediastina, Pulmo &c. Ita ut crebrius complicata hinc emergat Lethalitas.

Cum Corde communi lethality in involvuntur hujus Vasa sanguiflua quatuor majora, si ea vulnerari contingat, cujus asserti experientiam casus tristissimi infiniti comprobant, rationem *Hippocrates de Corde t. 5.* suppeditat. Hæc *Vasorum cordis majorum vulnere sunt lethalia.* quippe, nomine Venæ Cavæ & Pulmonalis, Arteriæ pulmonalis atque Aortæ, ad ventriculum illius utrumque demissa & ex hoc exurgentia, fontes sunt humanæ naturæ, & flumina sunt, quibus totum corpus irrigatur; atque etiam homini vitam conservant, & ubi desiccati fuerint, homo moritur. i. e. totum corpus his laceratis fluido vitali necessario defraudatur, sive hoc ex eo rejiciatur, sive vasa tantum deserat, & ad cavum thofacis depositum, tam mole, quam putredine, hujus membris molestum evadat. Exempla vulnerum ejusmodi funestorum vel ex Actis Facultatis Nostræ, vel ex Inspectionibus a me administratis proferrem, nisi penes omnes Conscientiosos & Prudentes Medicos assertum hoc in confesso esse, nossem. Potius stupeo tantam quorundam Medicorum malitiosam rudiatem, qui talia vulnera, ut in momento hinc concidant iæti, pro per accidens tantum lethalibus defendere & homicidis contra conscientiam causam dicere satagunt: quale quid quendam de Aortæ trunco, mox a sui exortu perfosso, ante paucos annos, quod Arteriæ non sint partes principes, arteriarum & venarum vulnera sæpius consolidentur, non omnis profusio sanguinis sit lethalis, hic e cavitate thoracis educi queat, naturæ ejusmodi plagarum consolidationes sint possibiles, similibusque frivolis argumentis sustinere conatum fuisse, Acta publica loquuntur.

Accenseamus his vulnera Vasorum Subclavium & Mammariorum, *Item Subclav. Mammar. & Venæ azygos.* item venæ Azygos, ex truncis illis immediate magis emanantium & in eosdem se terminantium; quæ mortis certissimæ pariter causa proxima existunt: vel quod sanguinis affluxu hinc spoliatur totum, vel quod thoracis organa mo-

tuum suorum vitalium ab hujus congestione lethales patiantur moras, ut historia, a *Ballonio lib. 2. consil. 22. Boneto Sepulchr. l. 4. f. 2. obs. 24. §. 2.* evincunt.

Quibus non sine ratione accensæ Vasorum Intercostalium læsiones ejusmodi, quarum occasione multum cruoris ad cavitatem pectoris profunditur: de quibus tamen quia *Sect. 1. cap. 3* proluxius disserui, Lectorem eo remitto. Sanguis enim hic congestus Viscerum vitalium motus enormius turbat atque cohibet, ac tandem in saniem seu pus ichorosum degenerans ad suffocationem usque eorum texturam corrumpit ac destruit. Cujuseductio per Paracente-
*Vasorum Interco-
 stalium læsiones le-
 thales.* sin non adeo facilis est, ac communiter creditur: vel quod plagas ejusmodi cavum illud penetrare, non æque semper constet, vel quod adornata hæc Chirurgia eductoria successus felicioris raro observetur. Vtriusque Exempla evidenteriora *sect. 1. c. 3.* recensui: priori in præsentiarum hoc addo. Anno 1707. mense Junii in sauciati cujusdam Thoracis latere sinistro Medicus ac Chirurgus deprehendebant puncturam, ad Sternum inclinantem, quæ an Pectus perfoderit, nec Candelæ cereæ, nec Siphonis, nec Tubuli applicatione, iisdem experiri licebat: quin, potius eam in Sterno terminari, cuncta tentamina innuerent & Symptomatum levitas optima quævis sperare juberet; donec post aliquot dies cochleare circiter seri corrupti hinc promanaret & percussus obierit. In cujus Cadaveris Thorace Puncturam illam intra tertiam & quartam Costarum superiorem illius cavum subiisse, ac Musculum sub Sterno Triangularem sinistrum, Mediastinum & Pericardium lacerasse, vidi, ita quidem ut lateris dextri spatium Intercostale pariter ad cutem usque perforarit. Venter hinc medius, pure sanioso repletus, Pleuram & Cordis superficiem externam corrugatam ac crassiorem, Ventriculum vero hujus dextrum maxime compressum, monstrabat: punctura vero descripta a me Lethalis dicebatur.

Pulmonum Plagæ non semper lethales observantur, hincque forsan *Hipp. 6. aph. 18. & 2. prædict. 19.* harum inter lethalia haud meminit, suntque frequentiora illorum exempla, qui transfossis iisdem, quamvis raro sine gravioribus symptomatis, ad multos annos superstites manserunt, qualia in *Sect. 1. innui*, his vero nonnulla ex *Pigræo & C. Stalpart. van. der Wiel*, utpote memoratu præ reliquis digna, in præsentiarum addo. Nimirum *Prior Chirurg. lib. 4. cap. 14.* de Nobili quodam, in pectore non longe a mamma ensis ictu, dorsum in opposita parte trajiciente, percusso refert, quod, quamvis hic trajectus sine pulmonis læsione fieri non potuerit, parum tamen puris per vulnus prodierit & sine febre aliisque symptomatis intra quadraginta dies perfecte

*Non omnia
 Pulmonum
 Vulnera sunt
 lethalia.*

fecte sanatus fuerit : donec quadragesimo febre ac aliquali dyspnœa sorreptus paulo post per tracheam puris albi & percocti ultra libram egerit, indeque optima semper valetudine usus fuerit. Addit huic notabilem maxime historiam cujusdam militis, qui sclopi ictu in thorace vulneratus tribus aut quatuor a sanatione mensibus per eandem arteriam asperam satis crassum tribusque ad minimum digitis longum costæ fragmentum emiserat, ab eoque tempore nullum plane symptoma senserit. *Posterior autem Cent. 1. obs. 39.* perhibet, juvenis cujusdam dorsum prope scapulam eousque perfossam fuisse, ut ensis mucro per pectoris quendam musculum intercostalem ad cutem usque ferretur, isque multum sanguinis tussiendo rejiceret, sanatum nihilominus intra quatuordecim dies prodiisse. Item *Obs. 31.* alium juvenem ab ense, pariter thoracem trajiciente, humi prostratum sine motu & sensu aliquandiu decubuisse cum insequente hæmoptosi duarum circiter mensurarum & paralyâ unius lateris satis diuturna: qui nihilominus tandem cum loquelæ & motus in crure aliquali restitutione sanabatur, manu resoluta permanente.

Memini ipsamet Iuenculæ villicæ, quæ ante annos viginti circiter sclopeti explosi ictum sustinuerat, cujus globuli, pisum circiter æquant, plures summitatem Pectoris dextram perforarant, ita quidem ut horum quatuor per Scapulum ejusdem lateris hujusque Os denuo prodierint. Altera a vulnere suscepto die, cum illam, pro Prognosi formanda, visitare, sputum cruentum spumofum, tussim, dolorem pungitivum cum aliquali dyspnœa penes eam annotabam, ex qualibus Symptomatis & regione Thoracis vulnerata Pulmonum partem granulis illis plumbeis transfossam, hinc vulneratam non omnis vitæ periculo expertem declarabam; quæ nihilominus sensim reconvalescens, sub raucedine & dolore loci tensivo ac gravativo cum aliquali anhelitus difficultate, superstes mansit.

Multos tamen, modo brevius, modo tardius, ex pulmonum ictu succum- *Multa tamen.*
bere præter *Hipp. 3. coac. 388.* eadem experientia evincit; adeoque organi hujus Vulnere perse lethalia conseri debent, quæ aut plures, aut majores earum arteriarum vel venarum ramos, aut tracheæ propaginem insigniorem, penetrant lacerantve, Vasorum sanguifluorum pneumonicorum lacerationes lethales præter *Timæum Respons. 16.* Acta Facultatis Nostræ comprobant, v. *Observatio*
g. in Viro quodam, Sulæ Francorum 1683. d. 19. Junii glandis sclopetariæ ictu trajecto, hincque paucas post horas obeunte: in cujus cadavere visa fuerunt clavícula dextra & pulmonis summitas perforata, hujus vero vasorum rami majores lacerati, hinc spatium thoracis idem multo sanguine reple-

Observatio. tum. Cui ex propriarum observationum Catastro tres paris eventus casus jungo. Quippe anno 1674. die 13. Februarii, vocatus a Nobili in Viciniam, fecui & inspexi cadaver, cujus pectus non glande plumbea, sed chartacea tantum, trajectum monstrabat sub ala sinistra e regione papillæ intra quintam & sextam costam vulnus, cum quintæ effractura & pulmonis sinistri lobi inferioris hujusque vasorum insigni seu sesquiunciam æquante dilaceratione, qua intra Nycthemeron cum hæmorrhagia insigni, difficultate spirandi & cordis anxietatibus obierat percussus. Primo Decembris ejusdem anni in conflictu quorundam Studiosorum & Præsidii Curix nostræ illorum cujusdam, qui mox cum vitæ suo exordio Cognomen a Morte susceperat, latus sinistrum venabulo nefario mortaliter pertundebatur, ut per vulnus satis ingens, septimæ costæ partem, octavam totam & utriusque spatium intermedium trajiciens, cum cruore languescentem animam sexto ejusdem mensis deponeret: in cujus cadavere cum diaphragmatis ambitu carneo sinistri pulmonis fibram superiorem ad uncix longitudinem perforatam simulque aliquot hujus visceris vasa, inprimis tres insigniores ramos arteriosos, lacerata, hincque pulmonem ac pleuram inflammatam, videre contingebat. Porro A. 1679. d. 27. Sept. ad Instantiam Prætoris urbani Iustravi cadaver juvenile, Civis suburbani filii, qui thorace sub ala pariter sinistra, intra sextam ac septimam costam, ense perfossus triduo post satis cesserat; ideo quod pulmo ejusdem lateris cum venæ pneumonicæ ramo sinistro sauciatus fuerat.

Observatio.

Vulnera pulmonum, propter Basa sanguifera lacerata, mortalia.

Majora itaq; pulmonum vulnera, quia sine divulsione vasorum sanguiferorum fieri nequeunt, item minora, venam arteriamve insigniorem penetrantia, semper per se lethalia dici merentur, & rarissime evadunt, qui talia sustinent. Obstare equidem huic pronunciato videntur ejusmodi quorundam Scriptorum observationes, quæ ingentem satis pulmonum prominentem portionem, sine vitæ detrimento rescissam perhibent, v. g. *Hildani Cent. 2. obs. 32. Schenkii ex Rolando obs. p. 267. ac Tulpii l. 2. obs. 17.* verum dispar horum phænomenorum & plagarum hæcenus descriptarum ratio est. Quippe, quam *Hildanus* annotavit, apicis pulmonis lividi præfectio ferro candente, hinc absque notabili hæmorrhagia, fiebat: in *Schenckii* historia pulmonis portio, propter sanguinis, ab angustia & conniventia vulneris thoracici, appulsum interceptum, pariter sine hæmorrhagiæ metu amputabatur. Quam *Tulpius* quoque, quia partem pulmonis prorumpentem emortuam filo contractam extirpabat, prudenter satis evitabat.

Quadrat huc *Ruyfchi Celeberrimi obs. anat chir. 53.* ubi ex vulnere thoracis partis inferioris, in famulo cujusdam Nautæ Pulmonis particula prominebat, quam Chirurgus imperitior pro Omenti portione habens illico vinculo ad rescindendam deligando præpararat. Advocatus *Ruyfchius* admonebat Idiotam, Plagam non Abdomen, sed Thoracem, penetrasse, & eam, quæ emineret, ab illo ligata, Pulmonis portionem esse: hinc vulnere digestivo & Emplastro defensivo singulis diebus fore prospiciendum, donec illa ligata emoretur ac sua sponte decideret & pulmo in ipso vulnere consolidaretur; quod cum reconvalescentia ægri contigit.

Futile & nullius valoris argumentum sane est, quo in defendendis homicidis communiter utuntur, quasi sub compagis Pulmonum ab ulcere profundiore erosione & non exiguæ hujus portionis consumptione quidam diu fatis & per annos (quamvis sub valetudine plerumque causaria) superstites degant: proin nec Vulnere eorum adeo exitiosa & brevioris interitus censeri posse. Alterius plane rationis est Suppuratio sensim & sine Hæmorrhagia præcipiti emergens, ac Plaga, ense, globulo &c. inflata: cum hæc sine cruoris enormiore vel ad extra, vel ad Pectus, profusione, quæ Lethalitis causa proxima, nunquam contingat; qualem ulcera illa nesciunt. Ulcera Crurum aliarumve partium externarum per plures annos sustinent nonnulli sine vitæ dispendio, Vulnere eorum, graviolem Hæmorrhagiam quæ comitem habent, brevi cum sanguine animam deponunt.

Præterea vulnere pulmonum illa quoque, quæ, illæsis vasibus sanguiferis, asperæ arteriæ intra eos reconditum ramum perforant, mortem per se patrare, ipse *Hippocr. Coac. l. c.* innuit his verbis: *Moritur autem etiam, si in arteriam & pulmonem magna plaga fiant, ita ut pulmone percusso paucior spiritus per os procedat, quam is qui ex vulnere elabatur:* confirmante idem experientia v. g. *Glandorpii, qui obs. 25.* quendam nautam ex læsione rami asperæ arteriæ cum impetuosiore aeris per vulnus transitu & sanguinis spumosi eruptione sexta die decessisse, narrat. Estque hujus eventus causa in promptu, quod aer, qui pulmones distendere & sanguini moleculas vitales concedere debebat, libere & sine omni hoc effectu per plagam pulmonis æq; ac pectoris exhalet: aut ob vulnere angustiam in thorace retentus ac pulmones comprimens suffocando magis perimat.

Nec ductus Chyliferi seu Thoracici lacerationes, hæctenus ab hujus argumenti Scriptoribus neglectæ, lethalitatis notam effugiunt: non tantum quod hac ratione, quæ per canalem hunc alias fieri solet, chyli traductio incipiat

Item propter ramos tracheales.

Ductus thoracici vulnera lethalia.

cipiatur

cipiatur, sicque sanguis commeatu necessario intercludatur, sed quod lymphæ pariter, e corporis partibus reflua, ex canali sanguinis exturbetur. Asserto huic ejusque ætiologiæ egregiam fidem faciunt experimenta bina, a *Louvero de Corde cap. 5.* perspicue satis tradita, & a quovis, mediocriter in ejusmodi tentaminibus exercitato, facile adornanda; quibus intra thoracem canis viventis tribus a pastu horis lacerata receptaculi lumbaris summitate aut ipso canali chyloso-lymphatico cruor e vena vel arteria postmodum ductus pauca lymphæ nulloque chylo dilutus conspicitur, animal paucis diebus elanguescit & expirat, ventre hoc lymphæ ac chylo extravasato scatente, ac Viscera vitalia submergente.

Lethalitem equidem hanc dubiam reddere poterat historia fluxus ex vulnere chyloso, quam ex *Langeloti* relatione *Bartholinus Cent. 3. epist. 37.* tradit, quod Baro quidam circa mediam dorsi vertebra sclopeto læsus, glande subter sinistram scapulam exeunte, primo quidem non adeo male se habuerit, post quatuordecim tamen dies per vulnus inferius, superiore consolidato, extillarit liquor albicans, parum simul flavescens, & quidem per plures menses, ægro quotidie sub febricula vespertina magis magisque debilescente & contabescente, ut bene appeteret & victu lauto atque pleniore quotidie uteretur, tandem tamen eoque restituto, ut febricula & fluxu per quatuordecim dies remittente, habitus quoque corporis floridior comparuerit. Donec idem, ex alimentorum calidiorum abusu animique commotione vehementissima, ejusdem fluxus recidiva una cum epilepticis convulsionibus ac postmodum hemiplegia correptus, paucos post dies e vivis sublatus fuerit. Sed vindicabit Illam ab ambiguitate, si (propter cadaveris inspectionem minus accurate peractam) dicamus, forsitan non ipsum truncum, sed ramum ejus tantum alterutrum, infra coalitum communem, sauciatum fuisse, ut pro portione quadam Chyli & Lymphæ advehenda alter adhuc ramus quadantenus suffecerit. De cætero mortem certam non parum forsitan morata fuit illa circumstantia, quod fluidum hoc extravasatum e vulnere promanarit, nec congestione sua cordi pulsanti, nec organis respiratoriis, impedimento fuerit; contra in thorace reservatum functiones has vitales graviter turbet.

*Diaphragmatis
plagæ quæ
mortifera?*

Pro Diaphragmatis vulneribus mortalibus discernendis vulgo distinguunt cum *Galeno in Hipp. 6. aph. 13. & 5. meth. medend. c. 9.* inter vulnera nervosæ & carnosæ parti insidita, nervi s. tendinosi centri vulnera per se & neces-

sario

fario lethalia, carnosæ vero peripheriæ modo cum *Fallopio* & *Vido Vidio* gra-
via tantum, ac difficilioris curationis, modo cum *Foresto* ut plurimum, hinc per
se, lethalia pronunciantes. Verum quamvis negari haud possit, carneæ dia-
phragmatis substantiæ vulnera minora aliquando sanata fuisse, qualia exempla
præter *Alex. Benedictum*, *Hollerius in Hipp. 6. aph. 18. Glandorp. Specul. Chi-
rurg. obs. 27. ac Diemerbrock anat. l. 2. c. 3.* narrant; & quidem non tantum per
texturæ rationem, qua ad consolidendum hæc magis apta, sed quod costis
maximam partem propinquior eadem circumferentia remedia commodius
admittat: Majora nihilominus aut multiplicata v, g. bina, non, nisi morte, *Etiã carnosæ*
expiari, præter experientiam communem ratio svadet, dum per hæc quoque *illius partis.*
actio respiratoria vitalis turbatur, & inflammatio superveniens cerebrum ac
nervosum genus æque facile, ac si pars ejus tendinea ictum sustineat, in con-
sensus spasmodicos ciet.

Imo ambigere licet, nonne quæ a Medicis ac Chirurgis hætenus vulnera
nerveæ Diaphragmatis portionis ex præjudicio credita fuerunt, ipsam ejus *Diaphragma-*
carnositatem penetrant: dum quæ communiter traditur, diaphragmatis con- *is structura*
formatio autopsiæ accuratiori haud concordat, & a Modernis Prosectoribus *olim male fuit*
evincitur, non hujus tantum circumferentiam carneam existere, sed ex dupli- *explicita.*
ci & digastrico quasi musculo illud componi primo *Steno* asserit, quorum su-
perior ac latior peripheria sua circulari costis & sterni extremitati adhærescat,
altera sui parte in aponeurosin tendineam abeat, inferior a vertebris lumbo-
rum carnosio pariter corpore sursum feratur, & cum prioris aponeurosi tendi-
nem communem formet. Ita quidem, ut Septi hujus portio, quam transit
Gula, quamque nerveam seu tendineam hætenus crediderunt omnes, revera
carnea sit, adeoque ex hujus vulneribus qui pereunt, non ex tendineæ, sed car-
neæ, expansionis læsione expirent. Breviter, utriusque Diaphragmatis sub-
stantiæ vulnera per se lethalia sunt: quia nerveæ semper & necessario, carneæ
frequentius, seu ut plurimum talia observantur. Accedit, raro Diaphrag-
ma solum sauciari, quin ex Visceribus vicinis unum pluraque simul lædantur,
hincque Vulnus complicatum Lethalitem intendat.

Interim vix adeo mirari convenit, si vulnera Septi mortem aliquando non
mox pedissequam ferant, illa sc. per quæ Ventriculus atque Intestina sursum & *Viscera abdo-*
intra thoracis ambitum rapiuntur, hinc foramen factum obturant, imo hujus *minis ad tho-*
limbo tandem agglutinantur, qualia phænomena *Pareus lib. 9. cap. 30. Semner-*
tus prax. lib. 2. part. 2. cap. 15. & lib. 5. part. 4. c. 3. ac Blanckard. Anat. pract. aliquando
ration. obs. 1. referunt; quamvis eadem cum viscerum hac translocatione re-
sufflaminant.

pente quoq; interemisse, i. e. irrepentia hæc motum cordis & pulmonum mox ad syncopen & suffocationem usque turbasse, idem *Pareus l. a. H. ab Heer obs. 25. Glandorp. obs. chir 28. & Blanckard. l. a. obs. 2.* testentur. Nihilominus, siue brevi, siue post mensium demum fluxum, moriatur ab ejusmodi viscerum mutato situ perfoßus, lethalis tamen dici meretur hic Diaphragmatis ictus: quod arti nullus suppetat modus, per quem raptus ille impediatur ac translocata interanea retrahantur, etiamsi de his (phænomeno alias satis abstruso) constaret. Etsi etiam sine ejusmodi Viscerum Abdominis translocatione Diaphragmate enorminus sauciatus Fatum aliquot dies superstites conseruisse, Observationes testentur: v. g. ex relatione illius Galli Anonymi, cujus a me aliquoties mentio facta fuit, Ubi ensis vulnerans Hypochondrium sinistrum compagem Diaphragmatis carnosam primum, hinc dextræ partis tendinosam, perforaverat: expiravit tamen post triduum demum vulneratus sub Febre graviore, Delirio & Convulsione Sardonica.

Contusio Septi lethalis. Spectat huc ejusdem Septi Contusio, non tantum illa, quæ cum Cruoris enormiore extravasatione contingit, qualem *Timæus Resp. 15.* brevi lethalem perhibet: sed quæ etiam sine hac momentaneam suffocationem infert, percussis sc. hypochondriis aut regione epigastrica. Repentinæ ab ejusmodi Diaphragmatis concussione strangulationis exemplum ex penu propriarum observationum *Sect. 1.* protuli, simileque me aliquando ab Amico audivisse recõrdor, qui superioribus annis, jussu Magistratus sui, secuerat cadaver pueri, commilitone globi nivalis in Epigastrium jactu prostrati & extincti, nihil tamen rupturæ similisve violentiæ præ se ferentis. Sine dubio, quod vehementius concussum Septum spasmus ejusmodi compressivum experiatur, per quem ad tempusculum intercepta respiratio percussum e vivis rapiat.

Nervorum thoracis lacerationes lethales. Demum Lacerationes Nervorum per ventrem medium decurrentium Intercoßtaliũ, Vagi paris & Phrenicorum, ut mortiferæ maxime, huc revocandæ, siue utriusque, siue alterutrius tantum, lateris propagines aut plexus existant, prout sub finem *cap. 2.* monui. In specie hoc evidens maxime est in nervis & plexibus cardiacis singulis, quatenus ab horum ruptura uni tantum cordis ventriculo eveniens spasmus aut resolutio alterius quoque motum cum Respiratione necessario turbat: ut ponderata habitudine, qua ad se invicem & pulmones hi gaudent, facile cuivis perspicuum fiet.

CAPVT V.

DE

ABDOMINIS VVLNERIBVS
LETHALIBVS.

IN Abdomine quemadmodum pariter diuersa diuersique muneris sunt organa; sic eorum fauciatorum intuitu ventri huic plura præ Thorace contingunt vulnera mortalia: Sc. innuente *Hippocrate* locis aliquoties allegatis, *Ventriculi*, *Intestinatorum*, *Hepatis*, *Vesicæ* & *Vasorum Majorum*, quibus non immerito *Lienis*, *Folliculi fellis*, *Mesenterii*, *Pancreatis*, *Omenti*, *Receptaculi lumbaris*, *Renum Vterique* lacerationes pleræque accensentur.

Vulnera abdominis lethalia.
Ventriculi, duplici ratione.
 Ventriculi Vulnera vel ratione vasorum sanguiferorum, vel ratione compagis sibi propriæ, lethalia observantur: dum per illa contingens hæmorrhagia totius corporis viribus enormiter derogat, sanguinis vero ad interiora facta profusio mole atque putredine Visceribus vim infert: per hæc autem digestio alimentorum horumque distributio, fluidis, vitalibus universalibus æque, ac particularibus, materiam subministrans, turbatur atque aboletur, imò illorum vel crudorum, vel digestorum, ad ventrem reiectione hujus interanea pariter materia molesta & in sui ac horum exitium vergente obruuntur.

Frequentiora nihilominus annotantur & penes Autores consignata leguntur exempla eorum, qui a percussionibus Ventriculi reconvaluerunt, v. g. *Galenum in Hipp. 6. aph. 18.* *Fallopium de Vulnere in genere c. 4. Chr. a Veiga in 6. aph. 18.* *Schenckium obs p. 348.* & *Glandorp. Specul. Chir. obs. 30.* quibus accedunt historiæ famosissimæ illorum, quibus cultrum, vel demente temeritate, vel imprudentiore conatu, per gulam ad ventriculum demissum, per epigastrii regionis incisionem eductum fuisse, narratur a *Crollio in præf. Basil. Chymic.* & *Daniel. Beckero in peculiari de Cultrivoro Prussiaco libello descriptæ.* Quo referre licebit adolescentem illum rusticum prope Halam sedecim annorum, qui anno 1691. d. 3. Ianuarii inter petulantias juveniles Cultrum ore prehensum improvise pronoque in terram lapsu faucibus profundius impegit, sociisque & aliis accurrentibus, quod extrahi illum posse diffidentur, cerevisiam ac oleum, ad gulam lubricitandam, suffundentibus, in ventriculum demisit. Post varios dolores ac molestias, modo sedatos, modo recrudescentes, mense Ianuarii insequentis anni tumor quidam durus non procul a Scrobiculo Cordis enatus,

tus, cum rubore & dolore intenso, paulo post aliquantum evanescebat, Maji mense denuo tamen prominens & Abscessum innuens, qui 24, dicti mensis spatha Chirurgi apertus materiam purulentam ac graveolentem fundebat, die 18. Junii apicem cultri monstrabat, donec die 2. Augusti culter integer, quamvis hinc inde corrosus ac mole imminutus, feliciter extraheretur, & ab eo tempore, sensim consolidato ulcere, incolumis viveret Adolescens. Transcripserat hanc Historiam, qui illi medendo adstiterat, ad nos, *Actis Eruditorum ann. 1692. mens. Decembr.* cum figuris Cultri devorati insertam. Quibus & similibus, quo Hippocratis, Galeni, Celsique sui effata defendant, Vulnerum Ventriculi varias constituerunt classes eorum commentatores, harumque alias lethales, alias non lethales, sibi conceperunt. Distinguebant siquidem I. inter parva & superficialia tantum & inter penetrantia ac latiora, illaque minus, hæc maxime, mortalia judicabant: II. inter Ventriculi læsi partes, id est orificia & fundum, illorum plagas semper & necessario, hujus ut plurimum tantum, mortiferas pronunciantes; quamvis alii fastigio tantum fundi, seu eminentiæ bina orificia interjacenti, hujusque læsionibus hanc prærogativam tribuerint.

Orificiorum.

Verum quemadmodum orificiorum plagas penetrantes semper lethales censeo, scilicet sinistri, ob deglutitionem impeditam, plexuum nervorumque insigniorum inevitabilem lacerationem, connexionem cum Septo transverso, hincque inflammationem dolorificam singultuosam & convulsivam; dextri ob chyli distributionem impeditam vel depravatam & vomitus biliosos enormiores: utriusque verò quod ratione situs profundioris remedia congrua sibi applicari haud patiantur. Ita haud apparet, cur non vulnera fundi quoque, si cum his similibusque symptomatis moriatur percussus, per se lethalia debeant pronuciari, utpote quæ pariter ideo perimunt, quod medellam necessariam ratione situs naturalis respuant, aliorum vero consolidationes aut naturæ favoris singularis, aut cœcæ fortunæ, opus fuerint. Neque enim, ut aliquoties monui, locum hic habet illa, quam in prognosi vulnorum adeo frequenter decantant, limitatio, quasi orificiorum plagæ semper & necessario, fundi ut plurimum duntaxat, mortem inferant: quatenus non de futuro, sed præsentem, eventum, id est, non, an moriturus, sed mortuus, sit percussus, deponere postulat Medicus; vel eo ipso, dum ex vulnere ut plurimum funesto perit hic, hoc per se interfecisse videtur vulneratum, prout in *Sectione prima* prolixius ostendi.

Ac fundi.

Neque enim I. Symptomata alterius generis, pauciora, aut Orificiorum vulnerum pathematis mitiora minusve lethalia patitur. fauciatus Ventriculi Fundus, chyli nempe digestionem ac distributionem frustratam, nauseam, vomitus, convulsiones &c. quæ sane Vulnerato interficiendo fati potentia existunt. Nec II. crassior magisque carnosa est hujus substantia tunicea, prout hætenus cum *Sebio* & *Suevio* sibi suisque Lectoribus multi, dogma sui *Galenii* denuo posthabentes, quo in *Hipp. aphor.* sæpius nominatum Vulnera, ad stomachi cavitatem penetrantia, non tam propter hujus substantiam, quam quod ipsis non, ut partibus externis medicamenta possimus imponere, incurabilia ait, persuaserunt. Carnosiora longe semper observantur bina ostia, & fibrarum musculosarum fasciculis pluribus atque crassioribus, imo insuper circularibus, instructa, tenuioribus semper comparentibus parietibus ipsius Cavitatis: ita ut, qui contrarium asserunt, eos vel contra autopsiam loqui, vel nullum ventriculum humanum vidisse, dicendum foret. Multo minus III. majorem præ fundo sensibilitatem prætereundere poterunt ostia bina vel ex his sinistrum propter plexus ingentes, in quos circa idem abit par vagum, quatenus plexus illi hic locorum haud terminantur, aut ab his majores ac plures nervi in eorum tunicas absorbentur, sed ab iis emanantes propagines per totum undique ventriculi ambitum feruntur, imo a plexibus Nervi intercostalis abdominis diversis infiniti & conspicui nervorum fasciculi egrediuntur fundo magis, quam orificiis prospicientes. Denique nec IV. adeo evidens est habitudo fundi, pro admittendis medicamentis, major quam ostiorum: dum quoad extrinsecus immittenda difficultas ratione situs ubique eadem, a traumaticis vero internis seu epotis haud plus sperare potest fundus præ orificiis, quasi illa in hoc diutius morentur, eumque non adeo festinanter, ut hæc, præterlabantur, i. e. quæcumque hujus regionem Tibi concipias perforatam, exilissima, aut potius nulla, illorum in plagam conglutinandum erit efficacia. Si enim summam, ad hanc minime pertingunt, hujusve unitatem læsam attingunt optima balsamica: Si inferiorem, per hujus aperturam facilius effluunt & abdomen gravant, quam illius labia conglutinant: Sin denique mediam, etiam hujus plagæ viam potius patulam medicamentis illis concedunt, quam ut ab illorum momentaneo contactu aliquid virtutis recipere queant; eas vero si non attingant, nec inde delibare poterunt balsamum labia illarum.

Carnosiora sunt orificia fundo.

Non magis sensibilia sunt orificia præ fundo.

Etiam summatis fundi vulnera sunt mortalia.

Neque tandem video, qualem prærogativam habeat jugum fundi, orificiis intermedium, quæ Cordatum & Rationalem Medicum, in hujus vulneribus

ribus mortalibus judicandis ambiguum reddere possit: imprimis eum, quem unus vel alter hunc in finem *Galenus in 6. aph. aph. 18.* allegat, commentarium aut nunquam legisse, aut non recte intellexisse, aut perverse applicuisse, videatur. Verba quippe illa: *Tenuium autem intestinorum natura & ventriculi magis non parum participant carnosæ substantiæ, & ideo in summa parte vulnerata sæpius agglutinantur &c.* non summitatem loci, sed superficiem externam ventriculi & vulnera non penetrantia determinant, ut præter *Sebizium ac Suevum* vel succedanea innuunt: *Tota autem discissa usque ad eorum cavitatem, rarissime &c.* vel hoc evincit, quod, dum Ventriculum intestinis combinat hoc loco *Galenus*, haud pateat, quid per horum summitatem, nisi superficiem externam, sibi velit. Quodsi vero ex percussione ejusmodi aliquos evadere contingat, ratio duplex potissimum subesse videtur: nimirum vel quod fastigium hoc ventriculi non adeo prompte conscendant ac per hoc rejiciantur contenta, præprimis si vulnus exilius; vel quod diaphragmati magis contiguum cum eodem facile coalescat: quæ phænomena tamen quia naturæ ac fortunæ potius, quam artis, opus sunt, vulnera hæc nec in genere, nec in individuis, ex illis succumbentibus, reddunt minus mortalia.

Quo tamen his meis de fundi Ventriculi plagarum lethalitate aliquid luminis & firmamenti ab Experientia quoque accedat, provoco ad Scriptorum Observationes, in specie *Foresti*, qui *lib. 6. obs. chir. 5.* quendam quatuordecim circiter a fundi ventriculi vulnere, alium a simili viginti quatuor horis, obiisse perhibet, *A. Lusitani Cent. 1. Cur. 67.* qui Architectum Pauli Tertii, Summi Pontificis, ex ventriculi fundo ense perfossus, altero die mortuum ait. item *H. ab Heer, Obs. 25.* qui Granorum Mercatorem, cujus ventriculi fundus cultello transfossus, ad trigesimam tantum horam supervixisse refert: & *Th. Bartholini*, puellam, bombardæ minoris globulo ad ventriculi fundi sinistram protuberantiam hujusque cavitatem usque ictam, sequenti mane expirasse narrantis. Quibus ex *Actis Collegii Nostri* adjicio binos casus, quorum alter de vulnere lethali in fundi imo, alter in summo, testatur. Sc. Anno 1668. 12. Maji Servestæ Studiosus quidam militis Hypochondrium sinistrum, mox sub costarum verarum ultima ita vulneraverat, ut gladius in fundum stomachi, hincq; ad latitudinem digitorum duorum transversorum a pyloro per eundem ventriculum & hypochondrium dextrum transferit, ex quo ictu ille cum vomitibus frequentioribus potulentorum haustorum, ac cardialgia, sudore frigido altero die perierat, potulentæ pariter materiæ mensuris quatuor circiter ad abdominis

Observat.

cavum

caſum profuſis. Qualem percuſſionem quamvis præter Medicum quendam privatum Collegium aliquod in Vicinia non per ſe lethalem pronunciarit, aliud iudicium poſtulatam ſuper eundem caſum ſuſpenderit: Noſtra nihilominus Facultas per ſe & abſolute mortalem, non ſine rationibus decidendi, evidentibus iudicavit. Pariter A. 1671. 26, Sept. in Oppido Voigtlandiæ, Reichenbach, calcearius calcearii hypochondrium ſiniſtrum fere eodem loco, ſc. ſuper coſtarum notharum prima, & ipſum Ventriculi fundi ſaſtigiū, e regione oriſicii ſiniſtri, ac duobus digitis tranſverſis ſuper pylorum denuo, perfoderat, ut hic cum dolore circa ſtomachum inſigni, ſiti, vomitibus & convulſionibus intra biduum expiravit, & quidem Vulnere ſine omni dubio lethali.

Obſervatio.

Quodſi proin præter ſummitatis ventriculi etiam reliqua fundi vulnera, in plagis lateralibus, antica &c. aliquando conſolidentur, quintuplicem ſuſpicionem imprimis hujus eventus ſalutaris cauſam occasionalem. Nempe (I) ſi minora, fieri hoc poterit per corrugationem ventriculi naturalem & beneficio ſtrati fibrarum muſculoſarum tuniciæ carneæ, tractui vulneris paralleli, contingentem: (II) Si peritoneo, diaphragmati & abdominis muſculis agglutinentur & cum horum labiis coaleſcant, ut in Ruſtico illo Kunnersdorffienſi, cui, annotante *Schenckio*, per vulnus Epigaſtrii ſatis diu alimenta prodierant, ſanato factum, tumor externus, mole pugnam æquans & non raro dolores graviffimos excitans, probabile reddit, ſimileque in Adolescente ruſtico Halenſi factum, ex circumſtantiis enarratis colligitur: vel ſi (III) portiuncula omenti ſe inſinuans ejus incisionem obturando coalitionem juvet. Quod (IV.) etiam forſan evenit, ſi per vulnus ejusdem abdominis regionis latius labia ventriculi ſauciati integumentis externis adducere & una eademque futura hæc colligare liceat; quale quid ex voto ſatis ſuſceſſiſſe ex obſervatione *Oerhei Schenckius*, *Suevus*, *Corbeus* aliique referunt, idemque confirmat *C. Stalp. van der Wiel cent. 1. obſ. 39.* Item (V.) ſi Apertura ejusdem ventriculi ratione contiguitatis arctioris cum labiis plagæ externæ ita occalleſcat, ut per meatum ſeu ulcus hoc patulum, quæ moleſta, rejiciantur: cujus phænomeni exemplum in Ruſtico Bohemo, venabulo lato in Stomachum ſub oriſicio ſiniſtro iccto, ex *Cornace & Jul. Alexandrino* allegati, ſi *Wielium* excipias, narrant, ſc. vulneris interni & externi labia per callum communem ita coiſſe, ut per eorum hiatus deglutita ad libitum emittere, eodem vero linteis obturato illa retinere, valuerit, ſicque aliquot annorum ſpatio vitam protraxerit. Nec (VI.) rationi omnimodè repugnat, quo nonnullos Scriptores inclinare obſervo, quo-

*Cur aliquando
Ventriculi
Vulnera non
citant?*

quorundam forsan Ventriculos carnosiores existere, adeoque per habitudinem quoque hanc individualem vulnera feliciter eluctari.

Sicut autem, prout in *sektionē prima* innui, quæ per singularem Naturæ benignitatem aut circumstantiam satis fortuitam aliquando sanatae plagæ alias, ejusdem generis visas, lethalitate haud eximunt, nisi ex particularibus universalem conclusionem, invita Logica naturali, eruere malis: ita, dum plura ventriculi vulnera lethalia, quam salutaria obvia sunt, in subjectis, quæ occasione horum ac cum symptomatis gravioribus, his læsionibus adæquatis, perierunt, & quibus non adeo propitia fuit vel natura, vel fortuna, talia cujuscunque Ventriculi partis, mortem per se intulisse asserere nunquam vereor, potissimum si nec fauciatus, nec Chirurgus, erroris convinci queat. Habent enim cuncta hoc commune, quod remedia illis commode applicari haud valeant, vomitibus vero ac convulsionibus totum exagitent brevique enervent, his ipsis subsultibus discontinuatarum partium coalitionem turbent atque impediant, assumpta vero vel omnino e corpore proscribant, vel ad abdominis cavum deponant.

*Intestinarum
Vulnerale.
thalia.*

Ventriculo prout continua sunt Intestina, & quidem tam ratione substantiæ quam usus, hæc discissa aut quocumque modo lacerata idem cum illo habent fatum. Sc. Vulnera horum per se lethalia comprobant infinita eorum exempla, qui intestinis fauciati expirarunt, contradicentibus aliis observationibus, quamvis paucioribus, nonnullos eadem salvos atque incolumes evasisse. Vnde factum, ut diversam semper *διόρισιν* meditati fuerint rerum harum Scriptores, sc. modo cum *Galeno in 6. aph. 18.* vulnerum *Superficialium & Penetrantium*: modo cum *Hippocrate 3. Coac. 389. Magnorum & Parvorum*, modo cum *Eodem Longitudinalium* atque *Transversorum*; modo denique cum *Galeno 6. meth. med. cap. 4. Tenuium & Crassorum*: adeo quidem ut superficialia, parva, recta ac crassorum periculosa tantum, penetrantia vero, majora, transversa ac tenuium per se mortifera, proclamarint. Et quidem posteriori limitationi ipse quoque *Hippocrates* primam occasionem suggestisse videbatur, dum *6. aph. 18. & 24.* inter partes lethaliter fauciatas tenuia tantum numerat intestina: eo ipso tamen dum *2. prædict. 19.* intestina in genere, & *3. Coac. 389.* tenue æque ac crassum mortem causari, ait, eandem distinctionem quasi tollit, nescio tamen quo casu, inter Canones fundamentales relatum; pariter etiam *Celsus l. 5. cap. 26.* postquam servari non posse scripserat, cui intestinum Jejunum aut tenue aliud vulneratum, mox omnium Intestinarum plagarum difficilem esse curam, pergit:

Primam itaque ac Secundam *diagnosis* promptus largior, Tertiam vero ac Quartam concedere nequeo: cum Arti non plura ac efficaciora suppetant remedia pro vulnere longitudinali & Crasso Intestino, ac pro transverso & Tenui, conglutinando seu uniendo. Transversa vulnera rectis cur difficilior coeant, hæc forsan subesse videtur ratio, quod fibris tunicæ extimæ ac mediæ seu carnæ longitudinalibus dissectis nullo amplius vinculo contineantur circularium manipuli: contra his præfectis, illis harumque potentia contrafortia integris, conniveant; magis vulnera, minime tamen in cadaveribus, si patula reperiantur, pro non lethalibus habenda. Concedo pariter, Tenuium Intestinatorum plagas vel ideo magis exitiosas existere, quod nobilior eorundem videatur Actio, sc. Chyli perfectio atque distributio, quod difficilior longe coalescant crassis, quodque majoribus & copiosioribus vasis sanguifluis & lacteis instruantur. Nec tamen Crassorum functio sordidior, quam in congerendis & egerendis stercorebus præstant, talis est, quæ sine vitæ certo discrimine per vulnus frustrari queat: neque facilitas & difficultas coalescendi ex Vulgi hypothese a substantiæ diversitate dependet, ut ipsemet *Galenus comm. 6. aph. 18.* innuit, sed ex situs disparitate, per quam Colon maximum sui tractum, ambitui ac integumentis abdominis externis non tantum contiguum, sed continuum quoque, deprehenditur, tenuibus profundius reconditis atque implicatis.

*Cur vulnera
intestinatorum
transversalia
periculosa.*

*Cur tenuium
Vulnera.*

Concludo E. cum *Hippocrate*, ictus, intestina quæcunque penetrantes, imprimis majores, & graviora symptomata pedissequa habentes, per se mortales existere: quod 1. a contentis suis ac flatibus distendantur, & motu peristaltico perpetuo exerceantur, hinc difficulter coalescant; 2. facile inflammantur ac gangrænosa evadant, ac 3. chylum atque feces ad Aqualiculum profundant; nec 4. remedia sibi rite applicari patiantur:

*Vulnera tenuium aque
ac crassorum
sunt lethalia.*

Vulnerum Intestinatorum lethaliæ historias plures Scriptores consignarunt, v. g. *Valeriola lib. 2. obs. 8. & 9. Benivenius de Abdit. c. 76.* in specie v. Ileii *Glandorpium obs. 32. Salzmann. obs. anat. p. 10. & Bonetus Sepulchret. l. 4. f. 2. obs. 25 §. 9. it. Coli Tulpius l. 3. c. 20. ac Salmuth. cent. 1. obs. 18.* Quibus addo Casum a Quæsturæ Martisburgensis Præfecto Facultatis Nostræ Iudicio expositum, cujusdam, qui 1678. 27. Decembr. duorum transversorum digitorum altitudine supra os pubis cultello confossus, 1679. 4. Ianuarii ultimum diem obierat: propter Ileum sectione longitudinali, vix crassioris Digiti capace, laceratum, hincque cum reliquis intestinis inflammatum atque sphacelatum. Nec desunt tamen, quibus eorundem Intestinatorum plagæ salutares contige-

Observat.

runt, qualium meminerunt *Albucaſis l. 2. c. 5. Pareus l. 9. cap. 33. Holler. in 6. aph. 18. Fallopius de Vuln. in genere cap. 4. & de Vulner. pecul. cap. 17. atque 19. Valeriol. l. 4. c. 9. & quidem Ileii Ephemericid. Nat. Curioſ. Dec 1. ann. 3. ob. 176. Coli vero C. St. van der Wiel. cent. 2. obf. 25.*

Vulneris Coli (ex quo fauciatus die quarto vita deſunctus) Lethalitate quondam ſc. A. 1691. 22. Anguſti a Deſenfore impugnatam, a Collegio v. Noſtro eodem anno ac menſe vindicatam, Acta hujus ſuggerunt: cujus utriusque argumenta recensere forſan ere erit. Deſenſori ambigua videbatur illa ideo imprimis, quod 1. Proſectores negligentiores Inteftinum nominatum minus aperuerint, hinc ejus valvulæ læſionem, unde lethalitatis potiſſimum momentum petierant, non tam viderint, quam augurati fuerint, 2. quod per integumenta Abdominis dilatanda vulnerato intefſtino Medicus, qui ægri curam geſſerat, vulneraria ſeu baſſamica non tempeſtively injeceſſit, alias ſalutaria. 3. Hinc inde conſtet, vulnus ejusmodi cum Peritonei & Muſculorum vulnere aliquando ita occalluiſſe, ut per hiatum relictum ſcybula intefſtinarum ad plures annos, ſine vitæ periculo, rejecta fuerint: 4. non tam Vulnus, quam ſanguinem extravafatum ac in Ventre congeſtum, ſupervenienti Inflammationi & Gangrænæ Intefſtini occaſionem dediffe: ac tandem 5. Vulnera hujus generis ſanata quandoque legantur. Aſt dubia hæc ſolvebat Facultas, regeſſendo ad (1) quod, quamvis Valvulæ Coli laceratio ab Inſpectoribus nec viſa, nec exacte probata, ex Plagæ nihilominus loco, Principio nempe hujus intefſtini, læſionem illius opinari liceat, & utut hæc minus lacerata fuiſſet, motus tamen Intefſtini periftalticus ex ſimplici hujus vulnere, hincque neceſſario ſuperveniente dolore ac inflammatione, depravari poterit: ad (2) deficere Indicans adæquatam ad Abdominis Integumenta dilatanda ad Injectiones admoventas; incumbens etiam Vulneri Coli Ileum illas ad hoc forte non admiffiſſe, neque has ejusmodi duplex vulnus conglutinare potuiſſe: ad idem & (3) a particulari ad univerſale non valere conſequentiam, h. e. ex uno Exemplo caſu magis, quam arte, hujus vel illius ſanati vulneris non inferendum, quaſi omnia ejusdem partis Vulnera medelam admittant: ad (4) Inflammationem ac mortificationem Coli utique Vulneri hujus potius, quam extravafato ſanguini, adſcribendam: ad (5) vero idem, quod ad 3. dicendum, ſc. ab illo, quod rarius contingit, ad plura non fore concludendum Proin hoc Vulnus Coli duplex ratione doloris, inflammationis ac gangrænæ, hincque evenientibus lipothymiis, ſingultus vomitus ac rejectorum Clyſterum per Os, per ſe lethale eſſe dicendum.

Et sic in exque genere experientia Fato potius, quam Arte, a Vulneribus Intestinatorum reconvalescentium, non, nisi hoc, concludere nobis convenit; vulnera Intestinatorum natura sua & in se non necessario, seu semper, sed ut plurimum tantum, existere lethalia: hincq; inferendum, E. eorum plura illave frequentius sunt talia, hæc nimirum, quibus consolidandis Medicina defuit, adeoque Symptomata mortifera declinare haud potuit, ob difficultates modo indigitatas. Quæ vero eorum salutaria contingunt, observantur vel cum hiatu, seu apertura ad exteriora hiscente, per quam præterlabentes feculentia excernuntur; vel cum intestini pariter ac abdominis plagæ occlusionis & coalitione. Prius solennius est crassis intestinis, & quidem per si-
*Cur quedam
intestinatorum
plaga saluta-
res?*

res & connexionis cum ventris hujus integumentis rationem, qualia Exempla *Cabrolus obs. 13. Hildan. cent. 1. obs. 74. Platerus obs. lib. 3. p. 880. Bauhinus in append. ad Roussett. parerg. 1. Ephemerid. Nat. Cur. Decur. 1. ann. 3. obs. 8. & ann. 9. obs. 121. & ex S. Satleri Disputatione, Suevus de Inspect. Vulner. part. 2. c. 19.* quamvis ex tenuioribus tale quid Ileo quoque cum vitæ, quamvis miseræ forsan, integritate accidere posse, sequentes binæ historiæ declarent. Refert quippe *Fernelius pathol. lib. 6. cap. 14.* Viro cuidam ex accepto ventris vulnere præcisum tenue intestinum prodiisse, ex quo alvi excrementa minus solida aut cohærentia per multos annos emanarint, ea via, quæ ad anum ducit, intercepta. Pariter *Blegni Zodiac. Gallic. ann. 2. Jun. obs. 4.* narrat, ab acinace quendam vulnus recepisse in parte dextra inferioris abdominis regionis, paulo supra annulos, processibus vaginalibus peritonei transitum concedentes, quo ictu transversim & omnino dissectus fuerit tubus intestinatorum, non procul a loco, ubi desinit Ileum. Quod vulnus quamvis absolute lethale pronunciatum & pro desperato relictus fuerit percussus, ea tamen fuit hujus felicitas, ut extremitas ilei resecti, extra vulnus ad ulnæ sextæ partis longitudinem elata, tandem recti intestini munus in se susceperit &c.

Quod autem aliquando omnimode ac perfecte coalescant intestinatorum vulnera, fieri potest I. per communem cum integumentis externis cicatricem, *Cur quedam
intestinatorum
vulnera non
lethalia?* si illud vulnere externo e diametro opponatur, quale quid Colo, per continuitatem illam, quæ cum peritoneo & musculis abdominis ejus parti externæ intercedit, quam frequentissimum est. II. Si vulnus abdominis tantum, quantum pro consuendo intestino lacerato necessarium, hoc consutum interdum coalescit, si nimirum substantiæ crassioris & copiosiore pinguedine oblitum fuerit, qualem experientiam in Colo *Glandorp. obs. 32. ac Ephem. N.C. Decur. 1. ann. 3. obs. 176.* testantur; non enim in omnibus futuram hæc æque felicitas

citer succedere penes *Baubinum* loco modo allegato videre est. III. Si forsani omenti, intestinis innatantis, portio casu aperturæ ejus se ingerat, hocque ad coalitionem usque perfectam obturet.

*Mesenterii
vulnera qua
lethalia.*

Mesenterii rupturæ vix adeo facile interficiunt, nisi quatenus hujus vasa majora cum glandulis vel pluribus, vel majoribus, lacerentur. Vasa hæc quia sunt tam Sanguifera, quam Lactea, utraque per floris sui, plus minus vitalis, profusionem Letho causam dicunt: illa quidem, sive sanguis e corpore proscibatur, sive in ventre congeratur; hæc, si intra abdomen cumuletur chylus serosus & ascitem formet. Prioris, seu hæmorrhagiæ lethalis, exempla frequentiora sunt, quamvis oppido raro tales animadvertere liceat vasorum mesenterii sanguifluorum lacerationes, quin simul intestina aliave viscera mortaliter læsa conspiciantur. V. g. Jussu Magistratus oppidani 1669. 13. Augusti lustrabam interanea juvenis, hypochondrio sinistro perfossi, & paucas abhinc horas defuncti: in quo præter Mesocoli. vasa sanguinea diversa, hinc multum sanguinis extravasati, Jejuni extremitatem inferiorem perforatam vidi.

Observat.

Pariter in cadavere Civis cujusdam hujus urbis 1671. 25. Sept. ab ense, itidem hypochondrium sinistrum subeunte, hujus Intestini Jejuni principium, epatis partem dextram & folliculum fellis cum Venæ Mesentericæ trunco perfossa, hincque itidem non unam seu solitariam mortalitatis causam, in uno defuncto, cernere dabatur. Superiore tamen anno d. 17. Junii in Cive quoque oppidano, vulgo *dem Frankösischen Koche* dicto, qui ex punctura regionis Epigastricæ tertia die expiraverat, observavi, ictum per omentum in mesenterii centrum penetrasse, sicque præter vascula Epiploica exiliora propaginem arteriæ mesentericæ superioris insigniorem trasversim resecurisse: unde abdomen satis vastum & obesum cruore extravasato & ad corruptionem inclinante turgebat.

Observat.

*Que vulnera
Lacteorum le-
thalia?*

Circumspectius paulo mihi judicandum videtur de Lactearum venarum vulneribus. Nempe lacerato uno vel altero tantum harum surculo, etiam satis magno: hinc notabili quamvis Chyli ac Lymphæ portione profusa ac Massæ Sanguinæ subtracta: per reliquos nihilominus ramulos integros, quia tantum Chyli, quantum pro vita perpetuanda indigemus, advehitur: nec chyli hoc dispendium, nec ramulorum horum lacteorum incisiones, phænomena per se lethalia pronunciare conveniet. Quod si autem hæc vulnera cum multa & mox præcipiti chyli ac lymphæ ad abdomen profusione contingant, visceribus ejus molesta ac tandem suffocatoria, haud perspicio, quid auxilii illis sperandum: cum perinde ac in aliis Ascitis speciebus, nisi aquarum scaturigo obturetur, hoc

in casu frustraneus sit Paracenteseos conatus. Illud tantum hac occasione motum volo, minime, ut communis fert traditio, Chylum ac Lympham extravasatam intra corporis ambitum seu cavitates adeo facile corrumpi aut putrescere; adeo hanc illorum nocendi ætiologiam hoc loco haud attendendam esse. Quotquot enim secui ascite vel hydrope pectoris extinctos, serum horum chylosum nihil vel graveolentiæ, vel saporis nauseabundi, præ se unquam tulit, nisi corruptio visceris cujusdam enormior fracedine quadam illud infecerit: imo vix annus præterit, cum in Virò, summe ascitico (magis ad ejus & uxoris instantiam, quam ut ipsi aliquid hinc successus promitterem) per Instrumentum Barbetianum Paracentesin administrarim, qua repetitis vicibus eductum serum, quod per menses aliquot in aqualiculo quam moleste gesserat, coloris lactei, odorisque ac saporis savoris atque subdulcis, uno verbo instar lactis ferosi & omnis corruptionis seu fracedinis ignarum, deprehendebatur.

Chylus & Lympha non adeo facile corrumpuntur.

Observatio.

Glandularum Mesenterii eadem est ratio, si nimirum harum læsio tanta, per quam Chylus ac Lympha cum impetu ad abdominis cavum stillet & sub quantitate visceribus respiratoriis molesta in hoc cumuletur. Quod fieri aliter vix poterat, quatenus si Vasa Lactea primi generis has non transeunt, certe per easdem colatur, hinc discissis colatoriis profunditur eorum fluidum: præprimis majore & media glandula, in quam plura lactea confluere, ex Anatomicis nunc suppono,

Glandularum mesenterii vulnere aliquando lethalia.

Plus metuendum a vasorum lacteorum distributoriorum seu secundi generis vulneribus, utpote quo pauciorum, eo grandiorum, item Receptaculi lumbaris: quatenus hi canales atque alveus communis lacerati plus Chyli, imo omnem hujus & Lymphæ ascendens penum, profundunt, hinc non tantum viscera gravando, sed his atque fluido sanguinis succum alibilem denegando, mortem certam accelerant.

Item Vasorum lacteorum secundi generis & Receptaculi lumbaris.

Pancreatis plagos non, nisi arteriarum ac venarum transeuntium ac perreptantium occasione, mortiferas augurari possumus: quatenus organi hujus actio seu usus non tantus, quantum olim Graëf. aliique venditabant, ita quidem ut satis commode ac sine notabili æconomix animalis conturbatione aut everfione subjectis vivis extirpari queat, fueritque extirpatum sapius cum successu a curiosioribus rerum Physiologicarum Scrutatoribus.

Pancreatis vulnere six lethalia.

De Omento idem sit judicium, i.e. ne hoc, ut tale, sed vel ratione venæ splenicæ ac arteriæ epaticæ atque splenicæ, proxime transeuntis, vel harum ramorum, sibi propriorum, insigniorum laceratorum, vulnerato aliquando ne-

Nec omenti.

cem adfert: Miror proin *Sebizium*, quod omenti vulnera per accidens tantum periculosa, nunquam per se lethalia concedat, si nimirum imperita ac rudiore manu tractentur illa: quatenus *Celeberrimum hunc Doctorem* meliora edocere poterat, quem pro dogmate suo declarando in Scenam producit *Fo- restus*, qui 6. *obs. chir.* 7. rescissa sine ligatura prævia portione omenti, ex abdomine vulnerato prominente ac corrupta, hincque per hæmorrhagiam enormiorem multo cruore in abdomine collecto, quendam paucis post diebus periisse; Alium per Gratiam Dei ac Naturæ singulari demum fato, huic & desperatissimis symptomatis ereptum fuisse, perhibet i. e. quæ ab ejusmodi cum consilio, quamvis imprudentiore, suscepta resectione contigit, cruoris extravasatio lethalis, a vasorum eorundem majorum perforatione seu rescissione magis fortuita erit metuenda.

*Epatis Vul-
nera lethalia.*

Epatis plagas *Hippocratem* non sine ratione mortalibus accensuisse declarat *Galenus* Commentarius in 6. *aph.* 15. his verbis: *Epar vero vulnera habet plurimo manantia sanguine; atque idcirco prius moriuntur, qui ita sunt vulnerati, quam vulnera agglutinari possint*, quatenus in eo vix exilissima demonstrari potest areola, cui si non arteriæ conspicuæ, certe venæ notabiles, sint intertextæ, nec remedia commode applicari, nec pus ac sanies evacuari potest; unde cum anxietate præcordiorum, lipothymiis, punctationibus ac doloribus ad jugulum & scapulam extensis, vomitibus modo biliosis, modo cruentis, item dejectionibus cruentis, æstu ac siti intensissima, ejusmodi miseri brevi ut plurimum pereunt. Testatur hoc ille, cui annotante *Hippocrate* 5. *Epidem.* §. 24. & 7. *Epidem.* §. 18. sub diei exordium epate jaculo percusso, color, qualis est mortuorum, mox per corpus diffusus fuit, anxietas contingit, qui que mortuus est antequam Concio solveretur: idemque morte sua confirmant, qui penes nos tale infortunium sustinuerunt. Cujus classis erat Tympanista ille Martisburgensis a Tubicine Anno 1672. 6. Maji gladio latiore inter secundam ac tertiam costarum notharum fauciatus, ac intra bihorium discedens: in cujus cadavere Epar mox supra fellis folliculum ad convexitatem sui simulque diaphragmatis expansum carneum perforatum cernebatur. Item ille Moli- toris Oslatiensis servus, in eodem hypochondrio dextro ictum sibi intra viginti septem horas mortiferum perpeßus, Epatis partem dextram perfossam hujusque ramum venosum ac Folliculum fellis laceratum Professoribus siste- bat, ut pariter Acta Facultatis perhibent,

Quia nihilominus his similibusque casibus hincque formato judicio hi- storix salutarium epatis plagarum contradicere observantur, enarratæ a *Ber- tino*

rino Medic. lib. 13. cap. 7. Hildano Cent. 2. obs. 37. Quercetano de vuln. sclopet. cap. 2. Foresto 6. obs. chir. 3. & Glandorpio obs. 33, &c. imo ipso jamdum Galeni ævo extiterunt, qui non tantum profundius fibrarum jecoris vulnus, sed fibram quoque abscissam, sanatam fuisse, jactitarunt: factum, ut alii de Hippocratis sententia dubitarint, potissimi discrimen inter plagas substantiæ & vasorum Organi hujus, tanquam Arbitrum fidissimum, produxerint, vasorum Epaticorum Vulnera per se lethalia, substantiæ minus talia, asserentes.

Quodsi tamen observatis anatomicis innitatur, vix apparet, quales Epatis percussiones lethaliū classi eximi debeant; nisi cum *Sennerto* illius superficiē tantum ejusmodi prærogativam decernamus: Cum vix ejus fibræ alicujus extremitas observetur, quæ discissa non conspicuis satis venis intertextā sit; adeoque haud constet, ubinam epatis substantia sola, sine vasis, hæmorrhagiæ lethali concitandæ adæquatis, sauciari queat. Adstipulandum potius *Glissonii* censuræ, *Anat. Epatis. cap. 9.* ubi substantiam epatis friabilem non adeo commode solidescere ait, quia per hujus ejusque vasorum minorum vulnera enormior quoque cruoris extravasatio contingat. Et vix fieri posse, idem pergit, quin per vulnera, visceri huic casim inflicta, vasa ejus simul lædantur, nisi plane superficialia fuerint: quamvis in illis, quæ punctim inferuntur, hæc forsā aliquando magis intacta evadere valeant. Per consequens, Epate vulneratum eluctari, rarissimæ observationis est, sed cum cruoris dispendio insigni fatiscit motus Cordis ac Sanguinis vitalis: citius equidem in illo, cui, animadvertente *Celfo*, Jecoris Portæ & Crassum, quam cui fibrarum extrema, fuerunt lacerata. Cujus posterioris generis dicendus *Lictor* ille audacior, penes *Tulpium l. 2. obs. 26.* qui cuidam Nebuloni ferociori injecturus vincula, in infima Iecinoris fibra bipenni ictus fuerat, ex qua extillans & in pus conversus sanguis eum in febriculam lentam & tantam totius maciem conjecit, ut ante diem quadragesimum conficeretur, in cadavere autem, jussu Pratoris dissecto, sub fibra vulnerata multum puris graveolentis reperiretur. Imo si juxta *Brassavolam* in 6. *aph. 18.* & *Glisson. loco cit.* contusiones epatis adeo periculosæ sunt, inflammationem ac suppurationem concipientes, parum profecto spei alet vulnus hujus membri mediocris magnitudinis ac profunditatis, præter hæc pathemata nunquam ab hæmorrhagia gravi immune.

Memini, quondam me legisse Responsum Collegii cujusdam Medici, super Vulnus Diaphragmatis duplex & Epatis, quod digiti latitudine profundum, longitudine vero digiti longitudinem æquabat, hincque Sanguis in Abdomen confertim influxerat. Quale complicatum Vulnus nullum Vitæ periculum

Vix ulum epatis vulnus non per se lethale.

periculum absolute inferre decidebatur, quod 1 nulla Vasorum majorum læsio in eo fuerit observata: 2 Sanguis ad Ventrem inferiorem confertim ruens ex quam plurimis vasis minoribus forte scaturierit: 3. Plaga Epatis superficialia tantum: nec 4. determinatum a Visitatoribus, utrum carnosa, an membranosa, Diaphragmatis pars transfossa. Verum Iudicio ejusmodi superficialiario adstipulari vereor, quod ex eadem hujus Casus Relatione constet, 1 Vulnerratum mox a suscepto ictu mortuum concidisse. 2. testetur quantitas Sanguinis extravasati tanta de majorum, aut plurium minorum simul, vasorum Epatis ac Diaphragmatis laceratione 3 Vulnus Epatis non hujus superficiem tantum attigerit, sed longum & altum maxime: ac 4. demum Diaphragmatis Plaga, cujuscunque demum hujus partis extiterit, facile æquipollere queat Tendineæ ejus expansioni inflictæ. Immortales profecto debes grates, Homicida, Mortalibus his, qui Vulnus plus quam mortale, ut Mortalitati tuæ derogent, minus Mortale enunciarunt.

Cur quidam ex
Epatis plagis
esadant.

Quoniam proin Iecoris plagæ immediate magis, propter hanc cruoris, sive ad interiora, sive exteriora, profusionem, enecant, cunctas illas, quas hæc vel solitaria, vel cum aliis symptomatis desperatis, comitatur, lethales pronunciamus, quamcunque demum epatis partem subierint: utpote quas semper si non unius vasis grandioris, plurium nihilominus mediocrium, lacerationes in sinu fovere, accuratior Inspectio manifestabit. Ita, ut dubitare liceat, an cuncti circa epatis regionem percussi ipsius visceris hujus plagam sustinuerint, v. g. cujus *Quercetanus* meminit: alii vero ex vulnere tali recovalescentes hujus exilitati & fortuitis adjunctis potius, quam solertiæ Chirurgi, salutem suam debere videntur. Hinc quem *Forestus* a Jacobo Carpo ex plaga epatis cum ejusdem portionis, a natura facta, secretionem sanatum perhibet, thesi expositæ nihil derogat, vel quod exigua satis & motu naturæ lento magis, quam instrumenti lædentis violentia, illa separata fuerit, vel quod mutilata & cruenta sua extremitate integumentis externis contigua fibra illorum, labiis oportune forsitan coaluerit: Porro difficultatem consolidationis non parum temperat Vulnus hypochondrii integumentorum latius magisque patens, per quod remedia stegnotica ac conglutinantia ipsi epati lacerato immediate magis admovere conceditur: quale illud concipere convenit, quod *Hildanus cent. 2. obs. 37.* describit. Sc. Helvetium quendam, in conflictu gladio Helvetio e regione epatis percussum, tantum vulnus accepisse, cujus consolidati cicatrix longitudine spithamam æquarit, ac simul epat eousque subierit, ut sanguis copiosius & ad deliquium animi emanarit, frustulum vero infimi epatis lobi resectum

refectum Chirurgus extraxerit : qui nihominus evaserit , quod per latiore[m] plagæ externæ hiatum commode satis mederi licuerit internæ. Cujus etiam generis videtur Adolescens ille, de quo *Glandorpius obs. 33.* narrat, ei ad finem ultimarum costarum plagam, octo digitos transversos longitudine superantem simulque epar longo satis tractu penetrantem, incussam fuisse : quam pulvis stypticus cum aliis appropriatis, tam internis, quam externis, tandem ad cicatricem perduxerit.

Nullum itaque Epatis vulnus, quod cum multi sanguinis emanatione, hinc vasis, sive unius majoris, sive plurium minorum, ejus compagi undique intertextorum, laceratione, vel pathematis irresistibilibus evenit, salutare dici potest, sed qui sub hoc pereunt, ex percussione, ut tali, perire præsumuntur. Atque hoc quidem eo magis, si vasorum, organo huic accumbentium, illud subeuntium hincque emanantium continuitas simul solvatur, sc. arteriæ epaticæ ac cysticæ, venæ splenicæ, mesentericæ, Cavæ & Portæ trunci inferioris aut superioris, vel hujus ramorum trigæ alterutrius. Cum venæ portæ laceratione Epatis Vulnus lethale describit *Forestus l. 6. obs. chir. 3. in schol.* cum Cavæ trunci *Timæus Respons. 20.* Cum rami mesenterici, in Cive illo, quem occasione percussioneis ilei 1671. 25. Septembris celerrima morte occubuisse, superius dixi, idem vidi : ut illa mittam, quæ cum vicinarum partium plagarum complicatione lethalia extiterunt.

Ad vasa Iecoris quia non immerito refertur Vesicula biliaria cum Poro epatico, de Folliculi laceratione observandum, hanc juxta *Fallopium de Vuln. l. 2. vuln. in gen. c. 4. ac Forestum l. 2. obs. 2. & 5. in schol.* mortem necessariam inferre, sunt lethalia. quamvis lentam, tum ob situm, tum ob substantiam, tum ob ejus contentum. Idem asserit *Helmontius de Sextupl. digest. §. 30.* sub hac tamen disparitate, ut confestim mortalia vulnera fellis seu Vesiculæ biliaris pronunciet. Rupturam ejusmodi ab intrusione summitatis ductus cystici in ejusdem extremitatem, hinc bilis ad crepaturam usque Receptaculi turgescentiam, cum torminibus ventris atrocissimis & post biduum enecantibus, annotavit *Job van Meekren obs. Chir. 43.* vulnere vero ejus, a percussioneibus externis evenientium, solitariorum rariora sunt exempla ; adeoque si experimentis negotium decidi debeat, ambigua relinquitur mens, an mors sacculi fellei rupturam excipiens, huic, an plagæ combinatæ, v. g. epatis, Ventriculi &c. in acceptis referri debeat ? Quo itaque in hoc argumenti genere me magis firmarem, binis Canibus Vesiculam hanc extirpavi, uno intra viginti quatuor horas, altero post biduum demum, utroque cum magno ejulatu, anhelatione graviore & anxietatibus,

tatibus, expirante. Ast contrarium huic phænomeno successum experiebar, in subiecto simili, cui in Corona Studiosorum privata folliculum, prævia cervicis hujus ligatura, extraxeram, quodque post operationem tres septimanas integras, primo misere, post commode satis, transegerat, forsanique unum alterumve adhuc diem supervixisset, nisi moræ impatiens eundem Martyrem vivisectioni alteri, pro lustrandis, quæ ab extirpatione illa ejus interaneis contigerint, mutationibus, mancipassem.

Rationem disparis hujus eventus si postules, sine dubio est, quod in prioribus binis subiectis nulla ductus cystici facta fuerit ligatura, adeoque per hunc etiam emanarit bilis per poros epaticos conflua; quem effluxum in tertio vinculum folliculi cervici injectum, prohibuerat: ita quidem ut in hoc meatu cysticus a divergente bile tumidior, choledochus seu intestinalis patulus maxime & intestinum bile manifestissime tinctum conspiceretur.

*Cur folliculi
fellis vulnera
terbalia?*

Hoc est, bilis Epatica eousque sufficere poterat œconomix intestinali ac totius in animali hoc, deficiente quamvis Vesicaria. Causa enim primaria atque immediata, qua folliculi fellis dilacerationes mortem inferunt, bilis est profusio ejusque ad Intestinum defluxus interruptus: dum ille, ratione situs profundioris, remediis appropriatis aditum intercludit, substantiæ vero ac emanationis bilis continuæ bilis defectus non adeo commode consolidatur hic vero, cruditatibus sanguinis motui vitali exitiosis, modo brevius, modo confestim magis, occasionem suggerit. Quale quid pariter dicendum puto, si vel porus epaticus, vel ductus choledochus, eousque saucientur, ut bilis actio in intestinum aboleatur

*Etiams pori
epatici & cho-
ledochi.*

*Ligamenti
umbilicalis
vulnera an
sint testaliam?*

De Venæ seu Ligamenti Umbilicalis, in adultioribus ruptura seu præcisione quid judicandum, hæreo, utpote quam, sine ulla alia noxa, repente suffocare, commune dogma est: ideo nimirum, quod cum reliquis ligamentis in æquilibrio detineat Epar, ne hoc versus posteriora ac superiora nimis reclinando diaphragmatis motum turbet; unde vinculo illo præfecto Septum hoc necessario comprimatur, & Respiratio aboleatur. Suffulcire etiam hoc sum assertum quidam conantur Fabula illa, per quam *Scaliger, Cardanus* & cum his *Laurentius Grassatores* ac *Rebelle*, apud *Ægyptios* pro supplicio, corio vivos exutos, cum maximis cruciatibus diu, nisi Carnifex umbilicum ferro contigerit, vivere tradunt: cui accedit *Hildani Cent. 1. obs. 53.* qua Adolescentem quendam a vulnere inter umbilicum & costas mendosas exiguo, interioribus omnibus illæsis; solaque Vena Umbilicali rescissa, mox humi prostratum quamprimum expirasse perhibet.

Quali tamen asserto repugnat, quod *Riolanus Anthropol. l. 2. c. 12.* in Mu-
liere Æthiopica, Saltatrice agillima, strangulata, Venam hanc abruptam &
intra fissuram Epatis revulsam, sine ullo ejus respirationis aut vitæ incommodo,
& in aliis foeminis, quæ utero sæpius gestaverant, vasa umbilicalia ab umbilico
avulsâ, viderit. Deinde vix concipi potest Venæ hujus officium deligatori-
um, dum in cadaveribus supinis illa vix adeo tensa conspicitur, hinc laxior ad-
huc necessario in illis, qui erecto corpore incedunt, erit, quam ut Visceris hu-
jus molè umbilico attrahat.

Neque difficultati huic solvendæ epicrisis Glissoniana quadrat, qui pro-
pter convulsionem demum supervenientem, tendinosam ac nervosam partibus
vulneratis frequentem, rupturam dicti ligamenti lethalem fieri putat: quate-
nus hoc nec nervosum, nec tendineum, est, nec convulsionum, sed subitanæ
tantum mortis, penes *Hildanum* mentio fit. Aliis proin hujus generis Obser-
vationibus, quia destituimur, nec mihi quenquam vitio versurum confido, si
vinculi hujus vulneris lethalitatem in suspensio relinquam.

Ad Lienem propero, cujus Substantiæ, ut talis, Plagas qui mortiferis ac-
censere verentur, illi Visceris hujus compagem se minus exacte perspexisse
produit: cum nihil Parenchymatis seu carnis hic reperitur, sed tota illius
compages ex cellulis seu vesiculis nerveis ac fibrosis, sanguine arterioso turgi-
dis, coagmentetur. Per consequens, sive arteriosi ac venosi hujus Organi ra-
mi, sive his continuatæ ac intermediæ cellulæ, saucientur, cum impetu hinc
promanans sanguis repente satis interimit: adeoque aut leve admodum fuit,
aut non tam *Carpî* dexteritate & solertia, quam Fortunæ nutu, consolidisce-
bat illud in Milite Lienis vulnus, cujus curandi rationem *Forestus l. 1. obs. 6.*
tradit. Neque video, cur *Fallopîus ac Forestus* plagas hujus Visceris minus,
ac aliorum, lethales pronuncient: quatenus, etiamsi concedatur, quod usus
ejus ad Vitam non adeo necessarius sit, quodque sine hujus periculo illud ex-
tirpari valeat; enormior nihilominus hæmorrhagia, quam ex substantia vel
tunicis tantum ejus, latius divulgis, experimur, eidem fato has cum Epatis
plagis exponit, vixque juxta *Celsum ad sanitatem perveniunt, quibus lien vul-
neratus.*

An ulli hominum unquam fuerit excisus aut excidi, sine vitæ discrimi-
ne, possit, prout *Plinius, Cæl. Aurelianus & Leonb. Fiorovanta* scripserunt,
merito dubitant prudentiores, quemadmodum in specie *Fiorovanta* fidem val-
de suspectam reddit *R. a Fonseca tom 2. consult. 94.* In Canibus aliisque brutis,
sine notabili actionum detrimento hoc fieri, nec *Tyrones nostros* latet: insul-
-

se nihilominus ex phænomeno hoc concluditur, vulnera Lienis majora aut profundiora non esse lethalia; quatenus per vincula, ante extractionem visceris, vasis ab anatomico injecta, inhihetur, quam ab ictibus fortuitis observamus, hæmorrhagia lethalis.

Læsiones autem ejusmodi Lieni obtingunt non tantum ab instrumentis secantibus ac perforantibus, sed obtusioribus quoque & contudentibus, quorum ictus vehementiores crepare faciunt ac rumpunt profundius reconditum ampullosum viscus, integumentis externis integris vixque suggillatis, qualia *Exempla Tulpius l. 2. obs. 29. & Fontanus in Vesal. Epit p. 21. a baculi ictu, recensent, eisque bina ex Facultatis Nostræ Actis subnecto. Sc. Lignizæ 1682. 22.*

Observat. Augusti quidam uxoris hypochondrium sinistrum baculo mediocris crassitie percutebat, hæcque post horulam extinguebatur: cujus abdomen cruore extravasato ad turgescentiam usq; plenum, & in lienis gibba seu hypochondrium spectante parte fissura ingens ac duplex, angulum acutum formans, cordis vero ventriculi & vasa corporis majora sanguine vacua, reperta fuerunt.

Observat. Pariter a Quæstore Lützenfi petebatur Facultatis nominatæ judicium super quendam, qui ex fustigatione & diversarum partium, præprimis vero ex hypochondrii sinistri contusione enormiore, (in cujus tamen integumentis ne suggillatio quidem cernebatur) mox conciderat & brevi expirat: cujus abdomen sanguine extravasato & congrumato scatuit, Lien vero in parte sui cava tres fissuras ingentes ac profundas monstravit.

*Renum Vuln-
era lethalia.*

Renum Plagas iu Catalogo Hippocratis Lethalium haud deprehendimus, ab *Avicenna* nihilominus magna ex parte mortales dicuntur, *Celsus* quoque *servari illum haud posse*, ait, *cui Renes vulnerati*. Et quidem non absque ratione: non tantum, si illæ Vasorum Emulgentium ramos & pelvis tubulos vel foramina penetrent, sed si substantiam quoque tantum eorum profundius ac latius incidant ac lacerent.

Quemadmodum enim priora non, nisi cum magna cruoris profusione, contingunt, per Pelvis vero fistulas laceratas in illo collectum serum urinosum ad cavum abdominis rejicitur, molestias ibi lethales patrans: ita intactis quoque his canalibus gravius sauciatus ren, hujusve canaliculi urinosi, potissimam ejus compagem constituentes, serum pariter ad abdomen profundunt, ut taceam dolorem atq; inflammationem mox supervenientem & quod Renum Substantia, quia simul vasorum sanguiferorum arcuati plexus insigniter lædantur, vix incidi queat, ut ex autopsia Anatomica suppono. Interim vulneribus his,

ob conditionem loci; necessaria denegantur remedia, ac cum sero jugiter transeuntes fordes illorum coalitionem haud parum turbant.

Quod si vero eadem superficialia duntaxat fuerint, minime mortifera *Non superficialia.* dici poterunt, utpote a quibus neutra harum evacuationum præternaturalium metuenda: cujus generis videntur illa, quæ penes autores diversa sanata legimus, & quidem aliquando cum portionis renum sublacione, v. g. *Fallopium de vuln. in gen. c. 4. Forestum lib. 25. obs. 20. Dodonæum obs. medic. 32. in schol.*

In his tamen vulneribus Renum cunctis attendenda quoque erit eorum Inflammatio, hincque emergens Ischuria seu Urinæ suppressio; quod symptoma solum lethalia illa reddit, unius quamvis Renis: cum experientia testetur, ab uno tantum, a vulnere atque inflammatione, affecto non minus, ac a calculo, alterum mox in consensum rapi, ut vel sola ex *Foresto* nunc allegata Observatio declarare poterat.

Neque valet consequentia, quibusdam solennis, quasi eo ipso, dum ab Exulceratione renum compagem aliquando omnino consumptam fuisse constat, & quidem sine vitæ dispendio, nec eorum vulnera adeo difficilia videantur: sed hujus loci pariter erit, quod de Pulmonum vulneribus monitum, sc. per renum vulnera sanguinem profundi, cui profusioni ob situs partis vulneratæ profunditatem, commode mederi haud possumus.

Tantum non elapsi sunt quadraginta anni, cum Barbitonsoris Minister in Regionis lumbaris parte sinistra ense subdola perfoderetur, correptus hinc Hæmorrhagia vehementiore, Lypothymiis, Nausea & Vomitibus, insequentibus diebus Nephritide, interdum Mictu cruento cum Ischuria alternante, quarum posterior cum reiectione Sanguinis grumosi per Vesicam solvebatur, Febre valde acuta & totius Abdominis distensione dolorifica. Ex quorum Symptomatum syndrome Renem sinistrum profunde satis fuisse vulneratum probabiliter inferri poterat. Graviter & ulterius tres menses sauciatus decumbens, mitescens tamen sensim enarratis molestiis, tandem restituebatur & superstes ultra triginta annis vixit, paroxysmis nephriticis frequentius agitatus.

Refero huc Vreterum præfectiones & per has ad abdomen confluam *Vreterum vulnera lethalia.* Urinam: quæ mole pariter ac putredine vulneratis exitio evadit. Notum equidem est, Serum urinosum in Renibus sensim percolari & per canales hos non confertim, sed lento satis stillicidio, ad Vesicam descendere: nec Vetulam tamen latet, intra Nycthemeron v. g. multum ejus vias illas transmeare, & per consequens non adeo parum Urinæ, quod a partium ambientium calore tam

facile resolvi ac consumi valeat, per unum Vreterem vulneratum ad ventrem deferri, potissimum si febris superveniens potum uberiorem jubeat. Neque perspicio, quam commoda statim plagam ejusmodi consolidandi vel præbeatur ansa, vel præsto sit Chirurgia, partis nimirum profundius reconditæ.

Plage Vesica

Vesicæ Vulnera lethalia itidem pronunciare jubet *Hippocrates* cum *Galen*o Commentatore ac *Celfo*: Imo *Aristoteles* quoque 3. *hystor. animal. c. 15.* inquit, *Nec Vesica præcisa coire potest &c.* Quemadmodum autem Idem Hic mox pergit his verbis: *quanquam non ignoro, aliquando contigisse, ut vulnerata Vesica solidescat,* ita nec deficiunt alii Viri, magnæ Experimentiæ atque Fidei, qui Vesicæ læsiones non semper mortiferas extitisse, diversis Experimentis confirmant. *Fallop*ius v. g. *de Vuln. in gen. c. 4.* *Platerus Obs. p. 849. & 850.* *Bauhinus app. ad Rousset. cap. 2. & Riverius obs. infrequ. 5.* ut reliquos mittam in *sect. 1.* nominatos, subnecto tamen his, quod An. 1680. Mense Maji in Studio sô quodam, nomine *Keldje* observavi. Perfodebatur Huic noctu, nescio, a quo Adversario, Hypogastrium, prope ossium pubis commissuram, advocatus ego cum Chirurgis eum deprehendi hæmorrhagia insigni, vomitibus atque dolore ejusdem regionis ad Lipothymias usque fractum, per Vulnus omnis Urina, nihil vero aut parum hujus per Vrethram, nisi ope Catheteris, excernebatur, & quidem per plures dies: donec turundarum, quibus hactenus plagam Chirurgi more communi deligaverant, usum dissuaderem, illamque remotis his tractarent illi, quæ postmodum intra octiduum coalescebat, reddebatque per meatum ordinarium Urinam Percussus.

*aliquando sa-
ntares.
Observat.*

Cum nihilominus præter dictos Medicinæ Principes tota hujus Schola Vesicæ plagas per se lethales proclamet, postquam supposuerunt ejus Doctores, *Hippocratem* reliquosque non de superficialiis, sed penetrantibus, seu Vesicæ dissecta, loqui, limitatione seu distinctione, inter Fundo ac Cervici inflictas, illorum autoritatem & Experimentiam quotidianam integram conservare ac rem decidere, allaborarunt, Fundi perforationes per se, Cervicis minus, lethales afferentes, eandemque jamdum concepisse videtur *Aristoteles* l. a. his verbis, *Nisi ad ipsum exordium sua cervicis.* Quod nimirum fundus membraneus sub hypogastrii delitescens laceratus plus doloris ac inflammationis suscipiat, non coalescat, nec sutura, nec vinculis, stringi queat, defluat interim ad abdomen urina: contra Collum carneum promptius consolidescat, ipsiusque, Perinæi propius adjacentis, coalescentia remediis juvari queat, ut vel in Calculo sectis experimur.

*Distinctio in-
ter vulnera
fundi & cervi-
cis non adeo
adequata.*

Circa quæ cogitata tamen monendum, nec Cervicis vulnera semper adeo salutaris eventus esse, sed frequenter ex his quoque perire percussos, si, annotante *Foresto l. 6. obs. chir. 5. in schol.* contundatur ac laceretur valde illa, ut Lithotomi fateri coguntur, si sub extractione calculi majoris tale quid contingat. Neutiquam interim ideo illa lethalibus per se annumerari debent, nisi forsitan per hypogastrium subintret instrumentum collum lædens, adeoque sanguis æque ex vasis colli discissis, ac ex ipsa vesica urina, emanans ad cavum abdominis confluat, nec vulnere interno medela adæquata fieri queat, quale auguror Civis illius Tennstädensis, super quod Iudicium Facultatis petebat *Observatio.* Præfectus illius loci. Perfodebatur Anno 1679. d. 6. Octobris hujus hypogastrium, mox supra pubem, cum egressu Intestinatorum per plagam externam, quæ quidem per hanc dilatatam reponebantur & hæc futura firmabatur: tertio nihilominus die vulneratus moriebatur, in cujus cadavere Collum Vesicæ perforatum ac pelvis cruore congrumato referta deprehensa fuit. Econtra a *Non omnes fundi quoque plagis quosdam convalescere Kentmanni, Plateri, Baubini, Cat-fundi plagæ tierii & Pauli observationes Sect. 1. allegatæ, item Ruysch. obs. anat. chir. 75. enecant.* & historia vulneris Studiosi modo nominati evincunt: quin tamen ob rariora hæc exempla fundi plagæ in genere dici debeant per se lethales, vix putarem, sed eas tales iudico. Ita Nosslenæ Quidam Machæra venatoria 1681. d. 2. Octobr. vulnerabatur intra Os Ilium seu Coxendicis & Sacrum, penetrante punctura substantiam membraneam vesicæ lateris dextri: qui mox corruit & tertio pariter die expiravit, in cujus sectione præter plagam illam Vesicæ multum Urinæ, sanguine tinctæ, in Abdomine conspiciebatur. Cui simile quid *Sunt tamen lethales ut plurimum.* *Glandorpius obs. 36.* tradit.

Evadunt vero tales Vulnerati, si illius Fundi parti, in qua, advertente *Fallopio de vulner in gen. c. 4. cum Perineo ligatur,* seu ubi huic & Musculis Abdominis connectitur, Plaga fuerit inflicta: secus, ubi in alia & ab ejusmodi connexionione cum integumentis libera, quadam, parte illum sauciari contigerit, utpote cui nec Natura, nec Ars, propter situs profunditatem, auxilium ferre valet, per Vulnus vero Vesicæ ad cavum Hypogastrii urina potius confluit, quam evacuatur. Atque illud quidem duplici modo fieri solet, nempe ut Plaga vel nunquam coalescat, sed in Ulcus collosum degeneret, per quod Lotium reliquo vitæ tempore excernatur, ut ex *Fallopio l. a. & ex Baubini ac Plateri observatis alleg.* elucescit; vel Artis & Naturæ opera mediantibus illis integumentis conglutinentur illius & horum labia in unum; interim Urina per vulnus externum promanat, nullamque Intertransis molestiam parit.

Præter-

Præterea, si incisio Abdominis major, per quam forsan Vesicæ vulneratæ Labia adducere ac consuere liceat, nisi superveniens Inflammatio negotium turbet, sanescere poterit illa pariter: quale quid tamen Contingentibus mere fortuitis foret adscribendum. Interim non video, quo fundamento *Forestus.l.a.* asserere sibi præsumat, plagam Fundi in illa parte, quæ Ossi Sacro alligatur, sanari posse: cum dictum Os ac Vesicam urinariam Intestinum Rectum ac in foeminis uterus intercedat, adeoque illi nec continua, nec contigua, existat Vesica. Nescit etiam hanc connexionem, quem sui asserti testem provocat, *Fallopium.*

*Uteri Vulnere
lethalia.*

Uteri in Foeminis vulnera quia rariora, forsan quod ossibus circumcirca bene muniatur idem; vel quod Sexus hic ad conflictus & digladiationes cruentas non sit pronus, parum de lethalitate horum penes Practicos legere contingit. Mirari tamen satis nequeo illos, qui talia, ideo quod Uterus ad vitam non simpliciter necessarius sit, sed propagationi Sobolis tantum prospiciat, non lethalia sibi persvadent. Contrarium asserente *Foresto l.6. obs. Chir.5. in Schol.* non tam quod, juxta hunc exanguis, secundum alios membranæ, sit ejus compages, sed si illius vasorum sanguiferorum unum alterumve faucietur, per quod sanguis non tantum utero, sed toti quoque subtrahatur, aut in abdomine, in detrimentum uteri viscerumque individui conservationi destinatorum, cumuletur.

Sin idem Organum, dum foetum gestat, ejusmodi ictum, etiam extra vasorum majorum diramationes, experiatur, Matri pariter ac Proli ille lethiferus existit. Illi quidem, quod (ultimis præprimis mensibus) totus uteri cavernosus seu spongiosus ambitus cruore multo turgeat, hinc laceratus ad deliquium animi eundem profundat, insequente simul illo quoque, quem vasa, tunc temporis per uteri fundum tumidiora, continebant: Huic vero, quod subsidiis vitalibus maternis idem defraudetur.

Fœtus Vulnere.

Quinimo fieri potest, eundem Foetum per plagam ejusmodi profundiorum simul lædi, cujus generis Casum perquam funestum *Gallus ille anonymus l'art de faire les Rapports artic. 9.* describit: quem vernacula transcribere non incongruum erit. *Rapportè par moy Maitre Chirurgien juré à Paris, que ce jour d'huy 8 Mars 1695 l'on m'est venu chercher avec empressement, pour penser Ieanne Ravichot, femme de Jacques Berthot, grosse de huit mois, laquelle venoit d'estre blessée d'un coup d'épée au bas ventre, à trois travers de doigt de l'ombelic, penetrante dans la capacité & persant la Matrice aussi bien, que le Fœtus contenu en icelle. La blessée etant morte de la perte du sang, avant que j'aye en le temps de mettre aucun appareil sur sa playe. Il m'a été ordon-*

ordonné par Monsieur le Commissaire sur les neuf heures du soir , de venir faire l'ouverture de son cadavre , au moyen de quoy j'ay decouvert , que le coup d'épée porté à la mere , après avoir perce la matrice près de son fond s'est perdu dans la poitrine du foetus , & a occasionné un tres grand épanchement de Sang dans le bas-ventre , ce qui a causé la mort tant à la mere , qu'à l'enfant.

Verberibus aut pedum conculcationibus Uterum eousque aliquando concuti , ut in Fœtum pariter , quem ille gestando fovet , ingens damnum redundet , si imprimis ictus in anticam & laterales abdominis gestantis partes impingant , ut Casus Iena 10. Febr. 1669. transmissus declarare poterat. Iurgiis dum se exagitarant Pastor Cosbodensis & ejusdem loci Ludimoderator a Verbis denique ad verbera veniunt , ubi uxor posterioris gravida accurrit , pro dirimendis his furiosis , aut pro marito manibus Presbyteri eripiendo ; quam hic in inguine sinistro pedibus vehementius conculcabat , ut hinc per reliquum gestationis tempus male se habuerit. Elapsis a violentia illa suscepta quatuordecim septimanis partus dolores miseram hanc invadunt , ut post horas aliquot filiolum sanum ac vegetum enixa fuerit , quem transacto nycthemero mortuus alter sequitur , partu quamvis præternaturali , & cujus diversa membra præter naturam se habebant. Funiculus quippe umbilicalis brachium dextrum , primum ex utero prominens , stringebat , quod humerus idem cum capite sequebatur , ita tamen , ut sinistrum brachium pone Cervicem dorso incumbentet , caput intra crura & oculo dextro aperto , maximam partem hæreret. In excluso fœtu funiculus ille cernebatur putrilaginosus sibi agglutinatum habens sanguinis grumum ingentem ac fœtidum ; dimidium placentæ uterinæ salvum , alterum corruptum. Ipsius fœtus aperti Epatis pars dextra nigricans in putredinem vergebat : dexter Ren hinc inde profunde suggillatus , sinister Testiculus sanguine seroso turgidus , Pulmo dexter semiputridus , in eodem thoracis loco tres Costæ fractæ , seu a cartilaginibus suis avulsæ & musculi his incumbentes cum intercostalibus , humero & brachio multo cruore suffusi , totum fere corpusculum cuticula exutum & ossa capitis hinc inde evidenter suggillata deprehendebantur , horumque suturæ plus quam secundum naturam hiabant.

Partui huic similis aliquomodo erat ille gemellorum enixus , cujus *Loysse Bourgeois part. 1. c. 4. Hist. 4.* meminit , quorum prior mortuus , satis monstruosus , cuticula & cute erosa , alter vivus , pedibus tamen primum nasciebatur. Cujus partus præternaturalis duplicem reddebat rationem Puerpera ; vel quod in Cœtu populi majore ejus venter violentius compressus ac

contusus fuerit, vel quod gravida per pravam quandam consuetudinem angulo mensæ crebrius se affedissememinerit. Porro Pedibus Abdomen uxoris prægnantis violentius concusserat, quidam nefarius Anno 1682. mense Martii, quæ quatrinduo post enitebatur puerum putrilagine valde arrosam. Hunc cum ad Requisitionem Prætoris urbani disseccarem intra Calvariam ejusque integumenta molliora, ut & intra Duram ac Piam Meningem, notabilem cruoris extravasati quantitatem, & Os Occipitis a Sutura Lamdoidea maximam partem avullum atque ad interiora depressum deprehendi ac monstravi adstantibus.

*Imaginationi
matris etiam
aliquid tri-
buendum.*

Cui tamen argumento inferere oportunum reor, non quævis gravidis inflicta verbera aut pedibus factas conculcationes foetus sui vestigium immediate imprimere, sed illa tantum, quæ Abdominis anticæ aut lateralibus partibus illata, & Foetum immediate magis contundentia; quin potius sana ratio nos conjecturari jubet, non ab ipsa percussione externa semper, sed aliquando per Matris percussæ, sub ejusmodi aggressionem a Terrore, Ira &c. conturbatam imaginationem vitia p. n. patrare. Postquam violentias ejusmodi extrinsecas tale interdum gestantis membrum sustinet, cujus læsio ad foetus mutilatam partem penetrare non poterat: dum a percussio v. g. matris brachio humerum infantis editi contusum cernimus. Et Facultatis Nostræ disquisitioni Anno 1696. commendabatur Casus, ubi prægnantis cujusdam manus in tumultu vulnerabatur, simul abdomen vehementius hinc inde ad livorem usque conculcabatur: quæ post trimestre partu tempestivo prolem enitebatur Labio leporino horrendo deturpatam. Qualem oris rictum nullam matri illatam percussione induxisse, ex collatione situs foetus in utero, instrumentorum lædentium similiumque circumstantiarum suspicabamur, sed terrore potius ac imaginatione istius in acceptis referebamur. Ejusdem nominati anni mense Jul. a Prætoze hujus loci disquisitioni meæ exponebatur puerulus octo septimanarum, cujus matri die partum præcedaneo incussi colaphi oculos præprimis sinistrum contigerant; ut, an suggillatio in oculo sinistro nati ingens, ac demum in Cataractam degenerans percussione illarum productum existeret? deponerem. Non sine ratione inferebam, non tam a Violentia Matri illata immediate, quam ab Imaginatione hujus vehementiore, per ictus determinata, hunc oculi foetus tumorem contigisse, oculo nempe Matris icto ab oculo hujus evidenter distito. Ne dicam, interdum a metu tantum percussione imminentis, tale quid evenisse, ut v. g. penes *C. Gemmam Cosmocrit.* l. i. c. 6. legimus de gravida, quam maritus excandescens brevi a partu

partu stricto gladio adoriebatur, hunc velut in caput illius adacturus: quæ, etsi fuga sibi consuleret, paulo post infantem enitebatur, in cujus capitis illa parte, cui ensis acies minitabatur, ingens solutio unitatis comparuerit, sanguine ad nati subitaneum exitium manans. Nec tamen omnimode negandum, violentiæ non raro externæ imaginationem matris combinari, hisque simul unum eundemque foetum variis modis lædere, ut ex observatione de Labio leporino recensito constare valet: ubi Funiculus umbilicalis infantis collo & brachio semel, cruri dextro bis, circumvolutus deprehendebatur, agitationis & prostrationis matris violentioris variæ sine dubio effectus; labio leporino interim ab ejusdem imaginatione producto.

Frequentius occurrit illa improvida & immanis uteri dislocatio, quam rudiores Obstetricum manus, secundinas violentius eripientes, aut hoc harum uterum arripientes, præstant, non sine atrocissimo parturientis in abdomine dolore, inflammatione, convulsionibus & repentina morte, quales Casus *Bartholinus cent. 2. obs. 91. Marchettus obs. Chir. 61. Solingen Embryulciæ cap. 16. ac obs. circa mulieres & infantes Append. & Mauriceau des Maladies des femm gross Lib. 3. c. 6. & Observ. sur la grossesse & accouchem.* narrant, testanturque *Acta Facultatis* in Iuvenula Zittaviensi filii primipara. Hujus enim placentam, utero arctius annexam, dum obstetrix imperita violentiore manu eripere moliebatur, simul uteri portionem protrahit: quam pro foetu peculiari seu gemello habens, puerperam ad novos conatus urget, nec labori ipsam in illo educendo parcit, contradicente illa, de illata vi & evulsione interaneorum omnimoda conquerente, ac vix elapsa a feliciore alias partu horula expirante. Cujus Hypogastrii Pelvis utero hujusque annexis vacua, hic autem ex sinu muliebri ultra spithamam propendens, in cadaveris dissectione cum stupore adstantium cernebatur.

Qualis quidem funesti eventus ætiologia non semper sanguinis illa est profusio, ejusmodi impetuosioris uteri evulsionis vasorumque sanguiferorum rupturæ effectus, ut in foemina, cujus primo mentionem feci, annotavit *Mauriceau l. a.* sed sola aliquando partium nervearum ac sensibilibium maxime tensio dolorifica & in convulsiones graviores ac mox lethales conjiciens: Ita quidem ut nihil plane cruenti penes quasdam, nec in harum cadavere, reperiat, observante *Solingen & Medico*, qui Sectioni puerperæ Zittaviensi præerat.

Denique in Abdomine mortaliter læduntur Vasa majora, hoc transeuntia: Sc. ex sanguiferis Arteriæ magnæ truncus descens ac Vena cava ascendens *Vasorum sanguiferorum abdominis*

*Vulnera le-
thalia.*

*Lymphatico-
rum.*

cendens horumque propagines insigniores, v. g. Cæliaca, Mesenterica utraque, Portæ, Splenica, Emulgentes, Iliacæ, Spermaticæ & per quarumcunque lacerationes multum sanguinis profunditur, proin minores quoque rami v. g. Gastricæ, Epiploicæ &c. Qualem quoque Lethalitatæ præsumptionem habent Lymphatica per eundem ventrem hinc inde lata, inprimis horum caudex major super spinæ vertebrae, inter Aortam & cavam, Cysternam Lumbarem conscendens, aut si plures eorum ramuli simul v. g. sub Epatis cavo & circa Portæ confinium rumpantur. Repeto siquidem ex Physiologicis, Lympham non fluidum excrementitium, nec vehiculum tantum alimonæ, sed succum particulis gelatinosis seu nutritiis plus minus turgidum existere: proin hujus extravasationem Corpus emaciare viresque insigniter consumere. Cujus equidem Phænomeni Exempla Scriptorum Practici vix suppeditant, nisi *C. Stalpart van der Wiel & Solingen*, Medicus ac Chirurgus Belgæ, multæ Experimentiæ. Horum quippe Posterior *part. 4. van de Manual Operatiën der Chirurgie* c. 34. de Bajulo quodam narrat, ipsi ex motu corporis incongruo Vas lymphaticum in femore ruptum fuisse, ut Lympha per foraminulum exilius instar pori cutanei, continuo cum Cruris emaciatione ac totius languore promanarit. Alter *part. 2. obs. rar. 46.* perbibet, ex Vulnusculo Brachii a V. S. relicto, altero & insequentibus diebus multum Lymphæ diaphanæ absq; dolore ac inflammatione profluxisse, sine dubio ex Vase quodam seroso, supra Venam sectam decurrente, ac a ferro in hanc adacto, dissecto, & quidem cum Virium languore quotidie crescente. Atque horum Canaliculorum Vulnera difficulter coalescunt non tantum ratione tunicarum suarum membranosarum tenuissimarum, sed inprimis ratione Lymphæ transfluentis, quæ non adeo commode, ac de Sanguine innotescit, in thrombum seu grumum abit, atque vasis rupturam aliquandiu obturat, donec iphus tunicæ Cicatricem contraxerint. Qualis coalitionis difficultas, cum in Vasis iisdem, profundius & in abdomine delitescentibus, ubi carne non undiquaque stipantur, non minor sit, neque ob eandem situs rationem hæc medicamenta appropriata, plumaceolos comprimentes ligaturasve, quorum nominati Autores, ut remedium congruorum, meminerunt, admittant: si ex ruptura ejusmodi Ascites aut Virium quicumque raptus contingat, utique hanc Mortiferis plagis accensere, sana ratio jubet.

*Verborum ab-
dominis Vul-
nera lethalia.*

De Nervis, Abdomen perreptantibus, quid judicandum, ex *Sect. 1. & Sect. 2. c. 1.* satis superque constare puto, horum nimirum propaginum & plexuum læsiones ejusmodi, quæ viscera hujus ac reliquum corpus in Convulsiones

lethales

lethales conjiciunt, utique mortiferas nuncupari debere: Et si lubens fatear, vix sine aliarum & vicinarum partium plagis enormioribus eas existere, vixque oculo tantum fugitivo cerni.

CAPVT VI.

DE

ARTVVM VVLNERIBVS ET ICTI-
BVS PER FVSTIGATIONEM AC CONTV-
SIONES DVRIORES ILLATIS,
LETHALIBVS.

ARtuum Vulnera per se lethalia minime dici possunt, vel quod usu eorum sine vitæ discrimine supersedere queamus, vel quod ab omni parte medicamenta, deligationes, saturas aliasve Operationum Chirurgicarum promitte satis admittant. Unum tantum est, quod ex his per inevitabilem necessitatem sauciatos aliquando succumbere facit, Vasorum nempe sanguineorum & Nervorum perforationes ac præcisiones illæ, quarum Symptomatis lethali-
*Artuum Vul-
nera que le-
thalia?*

libus, Hæmorrhagiæ potissimum ac Convulsionibus totius, nullum auxilium præsto est, i. e. trunco corporis propinquorum: de quibus tamen quia *Sect. I.* (de Vasorum sanguifluorum) & *2. cap. 2.* (de Nervorum Vulneribus) prolixè actum, argumenta inde repetere nolo.

Qualia E. symptomata si non superveniant, aut brevi cessent, Lethalitat-
tis suspicionem discutiunt, evanescente sc. ratione decidendi, seu Lethalita-
tem inferendi: prout ex Judicio Collegii nostri de Vulnere Femoris elucef-
cit. Anno 1705. mense Septembr. Leucopetræ vulnerabatur Fœmina quæ-
dam in summitate Femoris sinistri, hujusque parte interna, cum mox infe-
quente hæmorrhagia aliquot dierum, frequentioribus Lypothymiis & motus
impotentia dicti cruris. Accedebat febris gravior cum vomitibus biliosis,
ita ut dolore, inflammatione ac hæmorrhagia licet sedata, & Vulnere ad con-
solidationem inclinante, vulnerata post decubitus mensis integri fati cesserit.
Sub inspectione d. 16. Octobr. a Medico & Chirurgo administrata, pla-
ga deprehendebatur in dicto loco haud omnimode consolidata, hinc pure ad-
huc scatus; sub cute & pinguedine per medium Glandulæ inguinalis tende-
bat Vulnus, discisso infimul insigni Venæ ac secundi nervi cruralis ramo us-
que ad Glutæos musculos. Vulnus hæc nihilominus a Nobis non lethale per
se pronunciabatur, ideo, quod hæmorrhagia Venam discissam secuta com-
pesci

pescei potuerit, nec nervi cruralis dissectionem Convulsiones aut Paralysis universalis exceperit, Vulnus ad coalescentiam maxime inclinavit, nec dolor, inflammatio aut alia periculosa symptomata penes vulneratam observata fuerint.

*Tendinum
majorum Sul-
nera quæ le-
thalia:*

Est memoratu digna videtur illa tendinis majoris, patellam obvolventis, in foeminae genu per insultum equorum & curru facta ruptura, quam nulla hæmorrhagia notabilis ac inflammatio, mox vero ipsa nocte insequente Sphacelus per lateris ejusdem femoris atque Abdominis integumenta communia & musculos ascendens, simulque partem insignem intestinorum gangranosam reddens excipiebat, utut defensiva necessaria fuerint applicata. Immedicabile hoc genu Vulnus videbatur mihi, quod Artis instrumenta Naturam adjutricem non invenerint & ex Vulnere Sphacelus immediate, omnibus remediis irritis, emerferit. An aliis tale compareat, penes eos stet sententia: simile quid interim iis aliquando evenire posse non dubitandum: postquam in aliis quoque artuum locis, quibus tendines majores contigerunt, in Subjectis inprimis Cachecticis, Vulnere Fracturae Convulsiones lethales inferunt; prout olim in Icto, qui fracturam Tibiæ prope malleolum cum vulnere passus, factum recordor, qui mox convulsionibus totius cum Febre ac delirio vehementissimis corripiebatur, & quarto die animam exhalabat, utut nihil eorum intermissum fuerit, quæ necessitas efflagitabat.

*Fustigationes
& Contusiones
quæ lethales.*

Vulneribus congrue annectuntur Læsiones, quæ Fustibus, Pedum concussionibus seu quibusvis duriorum instrumentorum ictibus inferuntur, Plagæ incruentæ, quales pariter, si vehementiores, sine rupturis & Partium Unitate soluta nunquam fiunt; quinimo hæc quoque utut Habitum Corporis tantum externum afficere videantur, Mortem aliquando inopinam patrant, si nimirum earum plures latiores durioresque fuerint, carnes profundius penetrent, imprimis autem Interanea plus minus attingant: Leviores vero seu magis superficiales, pauca atque exigua vix enecant, utpote sub quibus extravasatus Cruor promptius discutitur, si per remedia appropriata potissimum juvetur Natura. Sc. sub Læsionibus his carniarum compages contunditur seu conquassatur, harum fibræ, canaliculi & vasa rumpuntur, hincque illa extravasato cruore inæqualiter suffunditur, ad ruborem, livorem & nigredinem usque: unde Circulatio Sangvinis ac lymphæ plus minus turbatur, tractu etiam temporis quod hujus extra vasa profusum, corrumpitur, & in sanem abit. Non raro etiam impetus ejusmodi Contusionum ad interiora se extendit, ut Pleuram, Pulmones, Epar, Lienem, Vesicam urinariam &c. eviden-

evidenter suggillare, quin etiam rumpere, aliquando observemus. Hernias diversi generis ab ejusmodi violentia concitari, quid frequentius? Uteri vero descensum a tali factum, Acta Facultatis Nostræ commemorant in Famina quadam Anno 1669. mensi Aug. quam quidam Socius petulans supinam cum impetu prostraverat, genubus ejus ingvina, ad excretionem usque urinæ, insultaverat &c. Firmioris Habitus & optimæ Valetudinis illa hætenus extiterat, proin Laboribus domesticis semper strenue contenderat, mox vero postquam illam violentiam perpeffa fuerat, Inguinis & Coxæ sinistra sensatione molesta, oppressione Præcordiorum, animi Deliquiis, Convulsionibus, Passione Hysterica, Febre ac Deliriis corripiebatur, multum Cruoris per Anum ac Os rejiciebat, octavo demum die primordium Procidentiæ uterinæ penes se observabat & de hac penes Adstantes conquerebatur. Quam equidem non tam a Violentia hac, quam forte ab alia quadam causa, concitatam Aggressoris procacis Defensor sustinere annitebatur, quod totidem demum post ejusdem illationem dies hæc contigerat. Illum tamen hanc immediate patrasse, Collegium dictum enunciabat: quod Organum hoc situm suum non propter Vinculorum rupturam, sed relaxatiõnem, mutarit, lento demum gradu & sub totidem molestis factam.

Functum magis Fustigationis & Proculcationis eventum olim, nempe 1684. mense Martii vidi, pariter in Fœmina, quam Maritus truculentior Verberibus ac calcitationibus diris exceperat, quæque sub doloribus corporis variis exquisitissimis, motus impotentia, febre, anxietate Præcordiorum, dyspnœa ac convulsionibus post triduum spiritum exhalabat. Hujus, jussu Prætoris lustratæ, Habitus externus circa Humeros imprimis, Thoracis latera, Lumbos, Ingvem ac Femur sinistrum, ex rubore pariter ac nigredine livida, hinc inde etiam tumida, cernebatur, Cutis vero nonnullarum partium incisa Cruore partim fluidiore, partim grumoso, manabat, & Carnes profundiores plus minus conquassatæ ac suggillatæ deprehendebantur. Medius ac Inferior Venter sanguine seroso scatebant, Pleuræ ac Peritonei sinistra pars & huic vicinior Intestinatorum tractus, una cum Lienis superficie, qua costis nothis accumbit, sanguine ad Gangrænam usque erant suffusa. Lethalitati per se phænomena hæc mancipabam, quod circulationem evidenter turbarent, ad rupturam etiam Vasculorum capillarium, hinc Cruoris & Lymphæ profusionem variarumque actionum frustrationem. Et conturbatur quidem hac ratione indigatorum fluidorum motus, non tantum ob dictas vasorum ac intermediorum canaliculorum rupturas ac compressiones, sed insi-

mul, quod Fibræ propter nervearum partium tonum hinc inde enormiter laxatum in illo iuvando deficiant: medicam humores nutritios, extra meatus, seu cancellos naturales profusos, facile corrumpi & in saniem, partibus solidis exitiosam, converti.

In fustigationis lethalitate determinanda aliarum quoque circumstantiarum habenda ratio.

Ast quoniam in ejusmodi Casibus hoc frequentius emergit aut movetur dubium, num vere immediate ac solitarie a Verberibus inflictis, nec a causa & affectu quodam interno, sive antecedaneo, sive superveniente, aut simul adminimum, mors contigerit? huic etiam satisfacere frequentius jubetur Medicus, quamvis hujus discretio ut plurimum difficilis deprehendatur, nisi circumstantiæ Fustigationem antecedentes, subsequentes ac Inspectio Cadaveris negotio huic aliquid lucis fœnerentur. Quem in finem igitur prænosse ac sciscitari oportet, Valetudinem seu statum Corporis defuncti ante Violentia's illatas, i. e. an exacte sanus an valetudinarius hic fuerit. Ubi in casu priore probabile sit, ictuum duritiem solam obitus ejus extitisse occasionem, atque hoc eo certius, si mox ab illorum perpeffione male se habuerit, & in pejus quotidie lapsus fuerit, qui vapularat: in posteriore plus minus ancipites hæremus, num a morbo alio latente potius, quem Relatio Medici vel adstantium innuit, vel quem sectio manifestat, an a Plagis illis, fatalis hic dies evenit; aut ad minimum combinandi sunt morbus ille antecedaneus ac violentia externa, ut tanquam causæ sociæ mortis infecutæ attendi postulent.

Exemplum dubiæ ejusmodi decisionis erit modo relatam, de Uteri descensu per rudiores insultus in fæminam concitato: cujus generis alia hinc inde occurrunt, v. g. si Gravidam ad Abortum usque Partum p. n. ac vitiosum per Abdominis violentiorem contusionem adigi contigerit, qualem Casum Iena ad nos missum *cap. 5.* recensuit. Quibus addo alium Noltri Collegii censura 1693. d. 10. Augusti expositum, in quo perhibetur, Servam postquam per mensem integrum ex dolore pectoris & lateris sinistri seu, ut Sectio Cadaveris declaravit, Vomica Pectoris & Pulmonis insigni, decubuerat, 12. Martis Fusti crassiore rudius & donec in humum conciderit, percussam, abhinc vero dorfi, hypochondriorum & crurum cruciatus insignes perpeffam, ac 27 Aprilis demortuam fuisse. In hac, occasione plagarum duriorum & has stipantium Animi commotionum vehementiorum, Sanguis stagnationem in Thorace ac Pulmonibus, hincque Suppurationem adjutam vel acceleratam sentiebat Facultas, Infirmiitati huic interim non parum contulisse, quod post fustigationem per nives & aquas medio Martii procul ambularit nihilque remedii primis quatuodecim diebus admiserit ægra.

A P P E N D I C I S
DISSERTATIO I.
DE
I N F A N T I C I D I O .

Vbi de Infanticidio recens nati suspicio emergit, duo imprimis disquiri solent, nimirum, *num vivus, mortuusve, partu is fuerit exclusus?* & *num vere enecatus fuerit?* seu an modus, quo interemptus creditur aut dicitur ille, neci inferendæ sit adæquatus? quo de corpore, quod ajunt, Delicti planius constat. Prius vel ideo nosse opus, quod prima & crebrior Infanticidarum observetur Exceptio, Foetum in utero vel sub enixus conatibus expirasse; seu mortuum fuisse editum: posterioris vero indagatio aliquando vel ideo exigitur, dum miseræ quædam (aut ex vitæ tædio, aut ex amentia) criminis infantes ejusdem se accusare, illudve fateri, Collegia Ictorum haud latet, quas circumspiciat nihilominus Inquisitio, tale quid minime perpetrasse, post prolixiores demum superatas difficultates, docet. De quo utroque nunc, ubi super infanticidium deponendi ratio explicanda, edisseram.

Questiones Medicae super Infanticidium

Olim equidem prius negotium per Indicia tantum mere legalia, plus minus specialia. seu propinqua, decidebatur, ut ex *Ordinatione Caroli V, Constitut. Crim. Saxon. Farinacio, Mascardo, Zangero, Carpzovio*, elucescit, & Mulier, quæ infantem mortuum se peperisse, aiebat, hoc aut sufficienter probare tenebatur, aut si hoc probare non poterat, in assertione nihilominus sua pertinacius perseverabat, ad Veritatis confessionem cogendam Torturæ subiciebatur: gravata imprimis per hoc, quod graviditatem occultarit & clam pepererit. Nec quaestionem hanc, Num vivus mortuusve extiterit natus? inter Medico-Legales olim relatam legimus, neque unquam a Praetore adigebantur Midici, ut ex Cadaveruli inspectione & per hanc observatis, i. e. per Argumenta Anatomico Physica, de illa enunciarent, aut hi ad deponendum super illa postulabant, ut ex *Parco, F. Fideli, Codronchio ac Zaccbia* constare potest. Ubi nihilominus Ictis in Infanticidii indiciis formandis a Medico manus porrigentur ad, hujusque Relatio expetitur, plurium phaenomenorum ac circumstantiarum in nato rationem habendam & ex horum demum examine negotium dirimendum esse putô. Vixisse ad partum usque & post partum Infantem conjicimus, si tempestive nec præmaturius ille exclusus fuerit, si conformatio ejus membrorum omnibus numeris absoluta: contra, si ante terminum naturalem

An fetus mortuus se natus olim ex Indiciis mere legalibus petebatur.

Super hac quaestione nunc Medicorum Relationes postulantur.

Qua formantur ex habitudine Nati.

turalem editus, & membris quidem iusta conformatione atque firmitate destitutis.

Quemadmodum enim prius perfectam minusque interruptam ejus nutritionem; & hinc vivacitatem adæquatam, innuit: sic posterius per exilitatem, teneritudinem ac flacciditatem membrorum suspicari concedit, defecisse in Utero gestato nutritionem atque augmentationem, per consequens vitalitatis robur. Quamvis aliquando etiam ejusmodi casus evenire possint, per quos nutritio illius cum ipsa vita brevi ante partum cesset, sicque carnosior & quoad singula membra firmatus, ac robustus satis editus compareat, pro vivo itaque habendus; quem tamen intra uterum jamdum vita defunctum alia circumstantiæ jubeant. In specie de nutritione integra atque vita Foetus, instante partu testari creditur Funiculi umbilicalis habitudo, ratione cujus hic modo succulentus, candidior ac firmus, modo flavus, flaccidus, aridior & facile lacerabilis cernitur: quorum illud eum in Utero vivum, hoc emortuum innuat. Licet ex his formatum judicium aliquando fallat, dum nimirum idem Funiculus in vivo etiam edito minus rite deigatus, & aeris externi afflatus per aliquot horas tantum sustinens, faciem ejusmodi præternaturalem frequentius induit: contra brevi ante enixum seu sub enixu expirans foetus succulentum & firmum præstat eundem, qui tamen de vita illius minime testari poterat. Porro in occasione tali attendi meretur, num Funiculus non deligatus multum cruoris fuderit? de quo si constet, vivum extitisse Partum, vero simile fit; secus, si parum ejus comparuerit, appulsu nempe sanguinis penes foetum, in utero qui expiraverat, jamdum deficiente.

Qualia momenta pro foetu ante sui enixum mortuo declarando plus certitudinis acquirunt, si innotescat, Matrem gestantem violentiam quandam evidentem, v. g. abdominis graviolem concussionem, lapsum, terrorem aut plura horum simul, fuisse perpessam, ponderis gravioris elevatione, inconcinno corporis motu ac tensione sibimet ipsi vim intulisse: qualibus ille modo subito enecatur, modo eousque saltem conceutitur, ut lente demum fatiscat & emoriatur, Functionibus vitalibus plus minus successively fractis atque labascentibus. Quodsi interim ab illata cujuscunque generis injuria foetus mortuus brevi exturbetur, nihil corruptionis aut putrilaginis in hujus cadavere deprehenditur: sin tardius & post aliquot demum dies excludatur cadaver, fracidum & putredine plus minus arosium comparet idem. In utroque quidem casu violentia externa & animi commotio enormior foetui exitium infert: saltem ut modo præcipiti magis, modo lenta, functionum vitali-

Et iis; quæ gestanti obtingunt.

vitalium conturbatione ac interceptione hoc fiat. Favet his Responsum Facultatis Nostræ Anno 1699 d. 2. Januarii ad quæstionem: *an fœtus ex lapsu gestantis ancillæ intra uterum fuerit extinctus?* Eum equidem septimo aut octavo ante partum die statim, quo illa conciderat, vix decessisse, ideo, quod sine omni squalore ac fœtore prodierit: fieri tamen potuisse, ut ab allisione præcedanea debilitati motu evidenter fracto, ille nihilominus eousque superstes manserit, donec vespera partum proxime præcedanea, qua Mater horrore corripiebatur, animam exhalarit.

De cœtero tunc mortuum enixam fuisse illam non inepte auguramur, si sub difficili partu hoc contigerit, sive nati infirmitas partum molestiorem reddiderit, sive sub illo hic imbecillior, & qui enixui laborioso ferendo minus capax, suffocatus perierit, sive partum brevius longiusve Hæmorrhagia insignis antecesserit. Alias vero fœtum mortuum gestari conjecturamus, si per plures dies nihil ejus motus consueti senserit Mater aut adstantium quædam, ventrem hujus manu calida complectens, ac si exclusus aliquid fracedinis spiraret: sicut contra eum vivum natum colligimus, si partui mox supervenientes calidum aut tepidum, hoc est, omni vitalitatis caractere nondum privatum, deprehendamus illius corpus; dum emortuus, mox frigescit, aut potius actu friget, nisi in ipso enixus momento expiravit. Et si cuncta hæc documenta non demonstrativa sed vero similia tantum, veniant dicenda; nisi forsân pulra horum in uno casu concurrant: i. e. vivum mortuumve partum exclusum Medici asserunt, secundum illa, quæ in prægnantibus ac natis communiter fieri norunt, adeoque de credulitate solum, non de veritate, hæctenus deponunt, ad testandum si requirantur. Atque hoc quidem iis indulgent Leges, earumque Interpretes, in causis nempe, quæ in sensus minus incurunt: qualem præsentem omnes saniores sine dubio pronunciant.

Donec haud adeo pridem nonnulli Medicorum, in eliciendis ac formandis ex una alterave observatione seu experimento anatomico hypothesibus & aphorismis universalibus nimis præcipites sibi met aliisque durius & difficilius hoc referendi onus contraxerint. Nempe ex *Galenis de usu part. 6.* & hujus quibusdam Commentatoribus intelligentes, compagem Pulmonum in Fœtu rubram, densam ac ponderosorem, in edito subalbam, raram ac levem, deprehendi. Porro ab *Harveo, Highmore, Th. Bartholino ac Thruston* edoceri, per ponderis illam disparitatem Pulmones Fœtus, integros æque ac dissectos, si aquæ committantur, submergi, Nati contra fluctuare seu supernatare, ex dicta Visceris hujus supernatatione ac præcipitatione, An infans, mortuus

Mortui fœtus signa.

Ex Pulmonum Nati diversa conditione Vivum mortuumve quidam augurantur.

oblatus, talis, vivusve, partu exclusus fuerit, decidere sibi præsumperunt. De quali tamen Experimento hujusque concludendi vi sicut olim quædam incidenter differui, ita hoc infallibile & sufficiens omnimode, pro dubio præsentè dirimendo, & pro Infanticidis convincendis aut exculpandis, satis fida argumenta supeditare, adhuc ambigo, atque prolixius nunc declarare contendam.

*Negant hanc
Pulmonum
disparitatem
nonnulli.*

Inquisiturus ante omnia in Experimenti ipsius veritatem seu certitudinem, nimirum an pulmones foetus mortui compactiores ac rubicundiores, vivi nati rariore ac albicanter, semper, cernantur? Ubi primam dubitandi rationem subministrat *Charleton in œconom corp. animal.* qui se multoties expertum tradit, nullam ejusmodi coloris differentiam in pulmone foetus ac nati reperiri: cui sub certis conditionibus suffragatur *Diembrock anat* l. 2. c. 13. autopsia edoctus, usque ad quintum mensem cum dimidio circiter pulmonem foetus rubicundum & mediocriter densum reperiri, postmodum vero cum paulatim mollescere, rariorem & coloris subpallidi magis cerni, quod suum assertum duplici comprobatur exemplo. Sc. in cadavere mulieris gestantis septimo mense præter propter gravidæ se offendisse foetum, cujus Pulmonem equidem minus turgidum, ac in natis, mollitie tamen atque colore ab horum pulmone parum distinctum invenisse & coram compluribus Spectatoribus demonstrasse. Pariter in foetu maturiore ac perfecto, paulo ante partum in Utero extincto colorem Pulmonum equidem rubicundum magis, quam in nato, aut simul, omnihil variegatum seu cinereum, mollem tamen & adeo spongiosam ejus substantiam, ut aquæ injectus minime subsederit, sed natarit, observasse. & quibus observatis inferre liceret, Criterium Modernorum, quo pulmones rariore texturæ, pallidiores & aquæ innatantes infantis esse qui a nate vixit; densiores, rubicundas & submergentes illius, qui in utero obierit, lubrico & infirmo satis gaudere fundamento: adeoque tantæ molis ac ponderis negotium in eodem haud locandum venire. Imo quamvis hæc ænomena, contra *Charletonum* & *Diemberoeckium*, firmioris veritatismitterem, non levia tamen sunt, quæ applicationem eorum difficilem reddunt: ita ut Experimentum hoc quæstioni, an foetus in utero respiret, & an editus in lucem respirarit? discutiendæ probabile satis argumentum præstet, vix tamen certo & infallibiliter per idem determinari queat, an natus in utero, an extra uterum, obierit, seu manu violenta interfectus fuerit? ut quidem hætenus sibi nonnulli Medicorum persuaserunt.

*Experimentum de pulmo-
num dispari-
tate fallit.*

Quale quid tamen quo evidentius evadat, Experimentum illud bifidum
membra-

membratim trutinare tentabo, proin *Primo* disquiram: *Anejus*, qui post sui enixum respiraverat, *Pulmones in aqua semper fluctuant?* Seu, *an Infantem, Pulmones sibi excujus cadavere tales extracti, vivum editum, hinc post partum demum vel nati non semsponte expirasse, vel enecatam fuisse, certo asserere liceat?* Quam sane hypo-
 per *fluctuant.*
 thesin mox dubiam reddit hoc, quod mortui quoque nati pulmones compa-
 etiores & submergentes inflatione ab extra facta ad natandum facile disponi
 queant: dum non tantum catulorum mortuorum exsectorum pulmones levi
 aeris inhalatione me eosque, ut natarint, expandisse memini, sed in Cada-
 veribus quoque recens natorum mortuorum infantum, propter Infanticidii
 suspicionem hinc inde dissectis, mihi atque adstantibus idem præstare ac cer-
 nere contigit, testaturque idem *Reyerus miscell. Nat. curios. dec. 1. ann. 6.*
obs. 202. ut qui fundum prius petierint, pulmones, per Tracheam inflati ac
 distenti, post expressum iterum omnimode flatum, natarint, nec mergi po-
 tuerint. Argumentum hoc credit indubitatum allegatus Scriptor ad convin-
 cendas Infanticidas & indagandam veritatem, *An infans in utero mortuus,*
vel post partum demum quocunque modo occisus? Ego inverto, hocque
 ipso experimento auctoritati natatus pulmonum multum detrahi, ajo: dum
 arte adigere conceditur pulmones in Utero mortui & alias submergentes, ut
 natent, adeoque partum perperam & contra rei veritatem vivum innuant,
 qualem Fallaciam *Böckelman* quoque penes *Blanckartum Collect. physico med.*
cent. 2. obs. 92. metuit. Ejusmodi siquidem casum nunquam dabilem seu im-
 possibilem omnino nemo prudentum asseverabit, quin ipsa Mater nati, pia
 satis & tenerrimæ Conscientiæ, per *σοφῶν* quo hunc debiliorem & syncopi-
 zantem mortis faucibus eripiat, ori ejus aliquid auræ inhalet; prout ab Ob-
 stetricibus in ejusmodi casu ancipiti, cum evidente aliquando ejus emolu-
 mento & resuscitatione inopina fieri solet: sicque ante enixum vere mortui
 pulmones, in sui propriam necem, explicet, seu ad natandum componat,
 i. e. vivi nati Pulmonibus similes reddat.

Quod ne gratis plane augurari seu fingere videar, ad ipsam Experimentiam
 provoco. Nimirum aliquot elapsi sunt anni, cum ab Amplissimo hujus ur-
 bis Senatu in pagum vicinum evocarer, ut de nati cadaverulo, an culpa ma-
 tris forsitan perierit? renunciarem, Accedens non tantum ex hujus, sed Ob-
 stetricis quoque, quæ ipsi in partu opem tulerat, ac cæterarum adstantium
 relatione intelligebam. Fœtum non modo aliquot ante partum horis in latere,
 ni fallor, sinistro Matris sine omni motu & in glomum quasi convolutum ja-
 cuisse, sed mortuum quoque, h. e. sine motu aut quovis alio vitalitatis indicio,
 comprobatur.

eductum fuisse: nisi, postquam eadem Obstetrix, quo illi, quantum possibile, suppetias ferret eumque forsan fuscitaret, hujus faucibus spiritum fortiore conamine inhalaret, bis adhuc exhalare visus fuerit. Nosmetipsi cernebamus corpusculum Partui perfecto & maturo per omnia simile, ejus Funiculum umbilicalem hinc inde putrilaginosum (qualem corruptelam in Secundinis etiam remotis asserebat Vetula) totum habitum marcidum & flaccidum maxime, nullam vero illatae violentiae notam observabamus. Unde Obstetrici subscribere jubebamur, & quidem per phaenomena recensita, mortuum hunc partum prodiisse, quem Mater, Obstetricem ipsammet accersens, celare noluerat. Interim, quo etiam hac occasione Controversiam illam, de innatantibus ac submergentibus pulmonibus recens natorum per autopsiam ventilarem, e Thorace tenello hos extractos, satis albicantes, aquae injiciebam, cui supernatabant, Foetus nihilominus ante partum mortui: sine dubio, quod inhalatione Obstetricis explicati & rarefacti fuerint. E. quod quaestionis erat, haecenus negatum, Pulmones in utero defuncti aliquando aquae supernatant: neque praesens eorum supernatio praedictio contingere poterat Nostrae, de Infanticidio quamvis suspectae.

*Objicitur alia
observatio.*

Equidem contrarium dictis innuere videtur Observatio, Dissertationi Zelleri, Professoris Tubingensis, cujus Inscriptio: *Infanticidas non absolvit, nec a Tortura liberat, nec Respirationem fetus in utero tollit, pulmonum in aqua subsidentia*, inserta: Qua Vituli vivi nati, submergentes tamen Pulmones, nisu quamvis inflationis fortiore, omnimode & ad natatum usque distendere haud licebat. Verum singulari & individuali structurae, ni forte praeternaturali habitudini, per quam ad commode inflandum illi minus apti existerent, hoc in acceptis ferendum videtur: qualem exin suspicari jubemur, quod animal hoc post partum crebrius anhelarit, pulmones tamen ejus ad fundum vasis, aqua repleti, se praecipites dederint, lobulorum horum quidam mucoturguerint & crassioris compagis extiterint. Adeo ut, etsi in uno alterove subjecto hujusve Pulmonibus non aequae prompte succedat ejusmodi inflationis conatus, in plerisque tamen quia eam non frustra molimur, per illam ambiguum reddi experimenti venditi auctoritatem, prudenter judicamus.

*In partu ha-
rens Foetus
aliquid aeris
admittere po-
test.*

Præterea nunquam per Dystociam aliquando fieri valet, ut ruptis membranis, Foetus, in utero aliquandiu adhuc commoratus aeris tantum per Vaginam & Uteri orificium admittat ac Pectore recipiat, quantum ad Pulmones ejus tantisper explicandos ac natatiles reddendos exigitur, mortui nihilominus exturbati? Cui conjecturae litare quoque deprehendo illos, qui penes *Blanckartum l. a. Ruyschio, Medicis Trajectinis, Lugdunensibus &*

Böckelmanno, Experimentum de fluctuantibus ac deciditibus pulmonibus pro vivo aut mortuo nato, admittentibus atque comprobantibus, contradicere contendunt. Quibus quamvis per omnia assentiri nolim, nec tamen *Böckelmanno*, dum l. a. aeris ejusmodi subingressum rationibus quibusdam impossibilem plane reddere conatur, æque subscribere possum: quatenus foetus sub difficiliore enixu quandoque sensibilibiter satis anhelare contingit, sive vivum, sive mortuum postmodum prognatum. Neque Hypothesis Cartesiana & Svammerdamiana, de aeris ad Uterum ac foetus impulsu denegato, quam nihilominus *Böckelmannus* omni dubio superiorem ait; nec, quasi Uterus, post effluxum aquarum a secundinis ruptis in se cedens atque constrictus, foetus Thoracem eousque comprimat, ut spatium pro admittendo aere undique intercludat, asserto illi destruendo par erit: postquam ille impulsus aeris, pro respiratione formanda, dudum jamdum explosus legitur; conniventium vero parietum uteri renitentia vix tanta, quin a foetus agitationibus illi aliquantum explicari, sicque lateribus seu thoraci ejus ampliandis & aeri Vaginæ propinquiore locus atque aditus aliquis parari queat. Potissimum cum *Overcamp æconom. animal c. 121.* qui strenuum alias Promachum illius experimenti se gerit, concedat ac fateatur, quandoque partus in utero defuncti pulmones aquæ supernatare: si nimirum hic sub ipso enixu conatu, post Respirationem aliqualem, mortem obierit; seque in una foemina quatuor ejusmodi partus observasse, tradat.

Porrò nec adeo fidum seu tutum erit hoc fluctuationis ac subsidentiae *Fallit experimentum, si* Pulmonum experimentum, si putredine jamdum in cadavere inchoata illud *pulmones ad puerilagem inclinens.* tentetur: dum per hanc ejus, qui nondum respiravit ac mortuus natus, pulmones forsitan ad fluctuationem eousque immutari & disponi valent, mediante scilicet rarefactione illa, quam Putredo cadaveribus cunctis horum que membris mollioribus præstat, ut quæ horum aliquandiu in profundo aquarum hæserant, tractu temporis in sublime earum ferri hisque supernatare in vulgus innotescat. Qualem putredinem tamen, quia cunctis, natorum cadaveribus haud parem concedo, nec eundem ejus semper effectum facile largior: quinimo, observationibus ejusmodi convictus, quibus post partum difficiliorem hujusque conatus aliquot dierum frustrancos editi tandem fuerunt infantes mortui, in quibus fracedo patrilaginosæ satis evidens, pulmo nihilominus horum, aquæ commissus, mox fundum hujus petere cernebatur, ut casum tantum dabilem, & qui cautos in decernendo hoc negotio arduo nos velit, non perpetuæ existentiae atque necessitatis, me adduxisse, Lectorem advertere æquum ratus sum.

Nolo

*fallax testatur
idem Vagitus
uterinus.*

Nolo hujus loci facere Vagitum uterinum, quem ab ipsis gestantibus & amicis harum observatum annotarunt diversi Scriptorum a *Sermerto prax. lib. 4. part. 2. sect. 5. cap. 8* recensiti: quibus ex modernis *Timæum 8. cas. med. 24* & *Bartholinum 1. hist. 1.* addo. Hisque eo promptius subscribo, quod *Boyle de vi aer. elast. exper. 41.* minus absurdum credat scribere, grandiscentem foetum forte obscuram quandam Respirationem exercere: ideo quod non vana fabula sit, Infantulos in uteris matrum aliquando auditos fuisse vagientes, hocque exemplo Dominæ cujusdam comprobet. Meminique ipsemet, quandam Theologi Nostræ Universitatis & Ecclesiæ Archidiaconi Uxorem, anno 1684. gestantem tale quid penes se aliquoties & memet ipsum illi assidentem, percipisse: quacunque demum ratione hoc evenit. Sub ambiguo interim relinquitur, an levis hæc in Embryone quodam facta Pulmonum agitatio hos eosque disponat, ut partu edito aquis supernatent: cum nec exclusorum & aliquandiu extra Uterum viventium Catulorum pulmones vel sponte mox se expandant, vel Aeris per tubulum seu arte facta inflatione, adeo facile semper explicari posse, Experientiâ doceat. Hinc, quia Ejulatus ejusmodi uterini rarius accidunt, nec penes nefarias meretriculas ullo testimonio certificati, nec forte ad natatiles reddendos pulmones sufficient: parum defensionis sibi hæc ab illis promittere poterunt.

*Nec levis pul-
monum in na-
tis agitatio
torsan pulmo-
nes natatiles
reddit.*

Hæc erant momenta quæ Fluctuationis pulmonum super aquam testimoniū de nato vivo suspectum innuunt, quibus nunc talia subnectam, quæ alteram illius famosi Experimenti partem fallacem pariter, hincque factam illationem infirmam ac minus concludentem reddere videntur; i. e. ex sola Pulmonum recens nati submersione, hunc ante sui enixum mortuum, seu in partu & post partum eundem non vixisse, concludi haud posse. Nec vitio ac temeritati mihi vertent illi Medici horumque Collegia, quæ eam foetus ante partum exhalantis signum perpetuum ac certum asserunt, quod eorum sententiæ non adeo prompte assentiar: qui causam sanguinis arbitrio ejusmodi suspecto submittere & rem ancipitem atque arduam levi ac fallaci Experimento dirimere nolo, argumentis seu dubitandi ad minimum rationibus haud exigui vigoris admonitus; quarum nihilominus solutionem si ex aliis intellexero, eorum cogitatis subscribere minus refragabor.

*Submersio pul-
monum etiam
fallit in nato
mortuo asse-
rendo.*

Scilicet primam traditioni huic Scholarum erroneæ occasionem dedisse puto theoremam, quod ingentis autoritatis ac fidei catholicæ hæctenus visum fuit Naturalis scientiæ Doctoribus plerisque, *Vitam & Respirationem paribus passibus ambulare*, seu juxta *Galenum 6. de loc. affect. c. 5. Spirationem a Vita, &*

*Falsum dog-
ma, visum
natum mox*

Vitam

Vitam a Spiratione, separari non posse; adeo ut viventem non spirare, & semper respirantem non vivere, sit impossibile. Cui tamen dogmati tantum tribuere rare vix valeo, quin *Vitam in recens natis Spiratione priorem seu aliquando etiam sine hac, existere, asseram, proin illud precarium maxime dicam.* Quatenus per observationes, Muliercularum quoque, evidens est, quas suas etiam olim faciebat *Facultas Medica Wittebergensis Nobilissima* in causa seu suspitione infanticidii aliquando renunciatis, adeo debilem atque infirmum interdum excludi partum, ut omni Sensu, Motu ac Spiratione per aliquot momenta seu notabile tempus, desitui videatur, hic non, nisi variis vellicationibus, fomentationibus, Vini, Spiritus Vini & aromaticorum liquorum adspersionibus, instillationibus ac inhalationibus plus minus medicatis demum excitetur, & ejulatu primo aeris primam admissionem testetur. Hunc sub tali statu, i. e. sine omni sensu & motu, (nisi quod in arteriis ejus patentioribus, v. g. umbilicalibus levis quædam micatio sentiatur) hinc sine respiratorio quoque, quis non mortuum diceret, quem tanto molimine nihilominus resuscitare attentat, & feliciter sæpe suscitatur, seu latentem & quasi syncopizantem vitam in apricum ponit? cum hujus formalitas animæ & corporis sit connubium, quo semel soluto aut denegato illa haud redit, nec ullo modo revocari potest. Hoc est, quamvis sensus atque motus, functiones vitales, in nato aliquando deficient, vita nihilominus interim, seu unio illa animæ & corporis actualis, erit concedenda, & quidem ex functionibus vitalibus post liminio conspicuis: perinde ac Fœtus, si Secundinis obvolutus nascatur, aliquando aut nihil omnino motus sensibilis exerit, aut Thoracem saltem minus movet. Perconsequens fallum, quod vulgo supponitur, omnes Natos statim ab ipso Partus momento respirare. Quod argumentum laudata *Wittenbergensium* Facultas pariter admittebat in *Causa Annen Voigtii*, hujusque Matris, in Præfectura primum Pegaviensi, hinc Lipsiensi, ventilata, die 30 Augusti Anno 1684 ita decernebat: *Wir können aber nicht davor achten daß dieses (submersio nempe Pulmonum) ein indubitatum und universale argumentum sey / wodurch so gar gewiß bewiesen werden könne / es müsse das Kind ante partum in Mutter-Leibe verstorben seyn. Man könnte endlich wol ex præsuppositis schließen / wenn eine Lunge in Wasser sincket / so hat dieselbe noch keine Luft in der Welt geschöffet / Aber es folget nicht alsbald / daß es müsse in Mutter-Leibe gestorben seyn. Sintemal so wol in / als nach / der Geburt ein lebendig Kind kan ertödet werden / ehe es Athem holet ic.*

*Natus etiam
sibit sine re-
spiratione.*

Vere E. vivum, utut nondum respirantem, ejusmodi tenellum si mater

Z

impia

impia manu truculentiore perimat, seu perire concedat, Pulmones ejus cernes compactiores, sanguine uberius perfusos, ponderosos, hinc aqua submergentes: non mortui tamen, sed vivi, nati, quamvis nondum anhelantis, Organum. Nec adeo inepte plane in ejusmodi casibus ancipitibus nostrates Mulierculæ agunt, dum, ut superius tradidi, Nati ad sensum mortui, seu non mox respirantis, faucibus halitum potentius immittant, sicque eundem resuscitent, Forsan quod hujus sanguinis motus vitalis absque elatere accessorio, seu impulsu ab extra, quem ab atmosphæra liberiore expectabat, pro hoc tamen admittendo vel recipiendo, Thoracem, præ summa virium imbecillitate & per aeris externi incumbentis gravitatem, nondum sponte explicare poterat, fere succumbens, ab illius paulo potentiore atque ad Tracheam maxime directo impulsu aut inhalatione alterius levetur, sicque sensibilibus quasi reviviscat partu exclusus. Porro, sicut Natus imbecilior aliquando non æque prompte respirat, ita nec vegetior Elatere aereo externo semper forsân adeo opus habet, ipsique & fluido ejus vitali aliquantisper exagitando, seu hujus undulationi intestinae ad tempusculum perpetuandæ motor internus a Matre deciduus seu impressus præsto est. Simile quid hic fieri concipiendum, quod in Hysterica ac Hypochondriacæ suffocationis nonnullis speciebus & Animi Deliqui gradu intensiore contingere observamus, in his nimirum affectibus inspirationem aeris evidenter interpellari: adeo ut ad tempus notabile satis, sine vita cum morte commutatione aliquando carere valeat Æger Anhelatione sensibili, quod nulla, prout sermocinari amant, ejus in ejusmodi casibus urgeat necessitas. Qualem nihilominus Hominem nemo sanæ mentis mox pronuntiabit exanimem, Calore & pulsu aliquali, tanquam vitalitatis indicibus, adhuc præsentibus, & si non plane integris, certe haud omnimode abolitis: ut vel a posteriore concludimus, quod ille aut sponte ad se redeat, aut admniculis congruis restitatur.

Perinde nempe, ac per Experientiam advertere licet, Catulos aliaque animalia, mox a partu & antequam spirarint, etsi teneriora, longe difficilius strangulari seu suffocari præ illis, quorum fauces aliquali demum ab enixu intervallo & Respiratione jamdum inchoata constringimus: quod sine aeris externi usu, per motum vitalem, sanguini connatum, aliquandiu superstites durare possint, comprobante hoc duplici Observatione, cujus olim aliquando ex Actis Forensibus mentionem feci. In prato nempe agri Torgaviensis Anno millesimo sexcentesimo decimo nono puellam enitebatur

Mere-

Nec aere forsân semper mox opus habet natus.

Meretricula quædam, quam, ut occultaret, vivam in humum vicinam defodiebat, vivam nihilominus posthac Prætor protrahebat. Pariter Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto Parentes, quam ex nefario coitu genuerant, Filiam natam mox pannis ac linteaminibus obvolvebant, scrobis in horreo ad profunditatem pedis effoso imponunt, terra hunc opplent & spicarum avenacearum mergitibus cooperiunt: quæ tamen misella stupendo Fato, post septem horarum intervallum incolumis ac viva eruta ac protracta fuit, & parentes a crudeli Infanticidii flagitio hujusque supplicio liberavit. Atque hujus constitutionis seu texture, Utero & Involutris suis vere vivus exclusus, Partus extra omne dubium pulmones retinebit compactiores & aquæ minus supernatantes: minusque perpetuum reddet assertum triviale, vivi nati pulmones super aquas fluctuare & nunquam submergi.

Me vera scribere, non mera speculatione fingere, recensita, quemlibet docebit Experimentum sequens, modo in hujus administratione circumspiciorem ac frequentem se præstet: cum non æque feliciter succedant tentamina hujus gratia adornata, quod expertus moneo. Præsto sit Canis aliudve animal partui quam proximum & catulorum enixus patienter expectetur, edictorum vero Guttur mox, antequam spirare videantur, funiculo constringatur: qui vivi nihilominus inter strangulandum varias corporis agitationes & oris rictus convulsivos edent ac formabunt, dissecti in pectore Cor satis potenter vibrans & Pulmones compactiores ostendent, & hi perinde, ac non natorum & vivorum, ad aquæ, cui injiciuntur, fundum præcipitabuntur. Non dubitabit de rei hujus successu & Experimenti fide quispiam ideo, quasi Catuli omnes, statim ac utero & Membranis exclusi necessario respirent, qui *Boyllii, de vi aeris elast. exper. alleg.* evolvet: ubi Catulos quosdam, antequam respirarint, se dissecurasse commemorat, in quibus Cordis motum, quamvis non adeo evidentem, observavit: & vix frustraneos experietur suos conatus, si modo celeriter & dextre satis operatus fuerit.

Accedit, quod luctuosa satis aliquando testatur Experientia, Funiculum Umbilicalem Collo Foetus nascendi præter naturam ac ita circumvolvi, ut in ipso hujus enixu incongrue tensus, imprimis si rudior Obstetricis manus supervenerit, illum brevi aliquando extinguat. Per modum constrictionis canalisi pneumonici atque strangulationis hoc fieri, Muliercularum turba sibi persvadet: de quo tamen dubitare faciunt illa, quod aeris usu & reciprocatione hætenus destitutus, eodem aliquandiu adhuc sine Vitæ dispendio carere valeat, & Catellos sine respiratione vivos exclusos injecta chorda difficulter

*Potius, quod
præter modum
tendatur &
comprimatur
idem.*

admodum strangulari, modo dictum fuerit: quin potius solum Funiculi umbilicalis tensionem ac compressionem, sub ejusmodi circumvolutione inevitabilem, partui proximum enecare, probabile sit. Provoco, pro hoc meo asserto comprobando, ad aliam Obstetricantium observationem: scilicet si quocunque modo, ac sine ulla Colli constrictione, Funiculus Foetui antevortat, seu Capti hujus promineat, nisi mox reponatur, ei valde detrimens hunc evadere. An discriminis hujus causam cunctæ harum æque intelligant, disquirere nolo, auguror ego, a prolapsu Vasorum umbilicalium præmaturiore infantem ideo brevi extingui, quod Sanguinis materni motus ad illum per compressionem, inter Genitalia parturientis & hujus Caput necessario, inprimis sub reiteratis ac singulis partus doloribus factum, intercludatur: quo tamen, donec respirarit, carere nequit. Quid proin dicendum foret si Pariens forsan ἀσπυγος, aut huic obstetricans imperitior, aut complex trunculentior, eundem Funiculum vel strictius tendendo, vel minus decenter reponendo, vel quamcunque vim ipsi inferendo, huic, qui vitam anhelat, necem inferat? Quale quid pariter metuendum, si Caput, in partu constituti, aut a Parturientis, piæ alias, agitatione ac situ inconcinno, aut ejusdem Obstetricis rudiore contrectatione, aliquando lethaliter conquassetur, dum enixum illius juvare intendit, aut mentitur earum utraque, & mortuum exclusum dejerat. Numne, quod in ejusmodi casu Pulmones aquæ submergentes facinorosas has ab Infanticidii crimine liberent, asserere, temerarium ac impium foret.

*Non omnes
Pulmonum
partes æque
fluctuant aut
submerguntur.*

Porro Experimenti hujus de natatu ac præcipatione Pulmonum fidem sublestam reddit, quod unius ejusdemque Infantuli Pulmonis frustum ad fundum aquæ feratur, alterum eidem supernatet: quale quid se quoque advertisse perhibet Craanen de hom. c. 30. ubi scribit, Iudices hac in parte maxime falli posse, ideoque Medicum advocatum, ut suam hac de re dicat sententiam, prudenter circumspicere admonet, ne innocentem matrem puniri faciat. Cum sæpius contingat, quod vivi etiam nati Pulmo per primam ac brevem respitationem, non quoad totam sui compagem æqualiter mox inflatur, sed secundum aliquam tantum sui partem; & sic, quamvis quædam ejus pars, quam aer nondum subiit, fundum peteret, in aquam coniecta, vix tamen inde sequi, Infantem mortuum in lucem fuisse editum. Proin omnes Visceris hujus Lobos diligentius contrectandos ac singulos in partes conscindendos monet, quæ aquæ successive commissæ si omnes fundum petant certo demum & infallibiliter innuant foetum ante partum mortuum fuisse; quam primum vero aliquam ejus partem aere inflatam & supernatantem viderit, foetum per momentam aliquod extra uterum respirasse ac vixisse pronunciat. Et continere

gere aliquando posse, pergit, ut quorundam natorum Pulmones, non, nisi *Pulmones quorundam natorum* difficulter, inflari valeant, extra uterum nihilominus Infantem vixisse, *quædam recens natorum* quamvis pulmo aerem, propter anomalam sui conformationem non admittat. Quale quid in Vituli vivi nati Pulmone observatio *Zelleri l. a.* docet, sc. *aque distensiles.* hunc non nisi, repetito ac potentiore conatu fuisse distensum, & in aqua subfedis. Verum eidem ambiguitati hæc *Craanii* immergitur cautela actutum, hætenus prolixius ventilatum Experimentum, decisivum quod vulgo sibi persuadent: postquam hoc ab utraque sui parte fallere, partim dictum, partim ex sequentibus constabit.

Horum primum erit Quæstio, superioribus annis disquisitioni Scabinatus hujus loci Electoralis exposita, ubi Infanticida facinus primo pertinacius diffitebatur, favebantque illius negationi Pulmones Nati, in aqua submergentes, huncque in Utero defunctum (ex hypothese communi) innuentes: *Pulmonum Vivorum submergentium exempla.* postmodum nihilominus, se Partum vivum enixum fuisse eundemque encasse diserte fatebatur, & ad ultimum usque supplicium constantissime asseverabat. Addo huic binas observationes a *Zellero l. a.* productas, quarum una Vitulum concernit, qui post sui partum per dimidium horæ crebrioribus & evidentiore liorum motu reciproco, qualis circiter equorum delassatorum, se respirantem ac viventem stiterat: cujus Pulmones nihilominus aere inflato mediocriter distenti, aquæ dum committebantur, instar lapidis ad fundum vasis fuerint præcipitati ac demersi. Alteram ex Actis Forensibus Infanticidii ac Nepoticidii suspicionem involventibus, & *Amplissima. Facultatis Juridicæ Tubingensis* disquisitioni expositis, idem Scriptor recenset: ubi in Foetu post fata & sepulturam clandestinam denuo eruto & Inspectioni Medici commisso, Pulmones reperti fuerunt, qui aquæ injecti, huius fundum petierint. Matre quidem primum, ex Avia relatione, afferente, Natum post partum aliquoties vagivisse, eadem Avia, quæ Filia seu Matri parturienti adstiterat, hoc diffitente & Foetum mortuum dejerante: donec tandem sub examine rigorosiore illum vixisse seque misellum vivum atque ejulantem tumulasse, utraque confessæ fuerit.

Quibus ita se habentibus Experimentum hoc solitarium seu merum, ac hætenus adeo jactitatum, ut nonnullus illud *argumentum indubitatum ad convincendas ac defendendas Infanticidas* proclamaret, minus potens apprehenditur, annuente *Collegio Medico Wittbergenſium* in causa pari, cujus superius mentio facta fuit, nisi alia huic combinentur phænomena seu indicia, *Fallit E. hoc experimentum de Pulmonibus natantibus* illi robur addentia s. v. plus verisimilitudinis conciliantia. Quod advertentes *natantibus*

tes cautioreſ ita concludunt, Subsidentiam pulmonum in aqua Signum equidem præſtare Infantis in utero ſeu ante partum denati, ſicut eorum Fluctuationes vivi nati: neutrum tamen illorum univerſale argumentum exiſtere. Sub qua etiam circumſpectione in caſibus hujus generis *Facultas Noſtra* ſemper hæcenus reſpondit quaſita, Anno v. g. 1701 die 18 Julii a Commiſſario Ducali Ieneniſi, in puncto inculpato Infanticidii Uxoris *Paul Vorbers* / quod, eſi communiter tradatur, Infantem, cujus Pulmones aquæ ſupernatant, vivum prodiſſe & reſpiſſe; hoc tamen firmum ſignum, ſeu ex quo tale quid ſemper ac univerſaliter inferendum, venditari minime poſſe. Quin potius aliquando ſuſpicari detur, illos rarefactos & natatiles redditos per inhalationem æeris in fauces mortui nati, quam Mater ſimplicior & anxietatibus gravioribus obruta pro ſuſcitando hoc forte fuſceperat. Dum ex Actis imprimis innoteſceret, paucis ante Partum diebus eandem gravius lapſam ac ab illo tempore penes Maritum & Mulierculas diverſas de torminibus atque cruciatibus ventris conqueſtam fuiſſe, hunc ſimul ſubſediſſe ac ad Hypogaſtrium foetum devolutum fuiſſe, ejus motum omnino ceſſaſſe hincque ex Lapſu potius geſtantis illum in Utero periſſe; Concurrente forſan inſimul partu difficiliore, ſub enormiore atque anxioſa matris jactatione & animi deliquiſi, & quod neminem in labore hoc opitulantem habuerit genitrix: interim violentas haſ vaſorum Foetus rupturas, cruoris extravafationes, hinc Suggillationes Integumentorum Capitis, Colli &c. necem patraſſe.

*Dubii hujus
generis caſus*

Dubius magis occurrebat Caſus die 20. Novembris 1705. *Annen Do-
rotheen Gelhorn*/concernens, de quo ita ſentiebat Noſtrum Collegium. Favere equidem Inquiſitæ, quod Infans octimeſtris hincque debilior viſus fuerit, & vel ante enixum, vel in hoc, vel brevi poſt, dum illa Syncope fortiore correpta & omni ope deſtituta, occumbere valuerit: Supernatationem pulmonum conjecturam ſuggerere, Foetum vivum editum fuiſſe ac reſpiſſe, quod non adeo diu ſub partus conatibus hæſerit, brevi tamen expiraſſe. Nec in Matrice a Parturientis laboribus durioribus & motibus vehementioribus, quos Defenſor accuſarit, eum enecatam fuiſſe, inde colligi, quod nulla uteri Hæmorrhagia, ut in caſu ejusmodi fieri ſolet, motibus hiſ ſupervenerit. Neque Funiculum umbilicalem flaccidum & exſuccum infirmitatem & immaturioris Foetus obitum in utero neceſſario indigitare: quod natus, poſtquam aliquandiu ſub terra deſoſſus jacuerat, demum luſtratus fuerit, ubi per prima corruptionis rudimenta flaccidus evaſerit ille. Quin potius, propter indicia hæc incerta ſibi que contradicentia in dubio relictum fuerit, An In-
fanſ

fans hic vivus mortuusve natus, seu an violenta manu interemptus fuerit. Similis argumenti Quæstio Collegii dicti judicio exponebatur 7. Octobr. 1707 ad quam sequentibus respondebat. Cum natus vix Septimestris videretur, Gestanti paucis ante partum diebus insignis Uteri Hæmorrhagia supervenerit, pulmones illius maximam partem in aquam demerserint, Cadaverulum scybalis suis defœdatum, corruptionis putrefactivæ notæ, v. g. cuticulæ in facie secessus, Cerebrum fluidius & quasi deliquatum, in Sectione annotatæ fuerint; verosimile quidem videri, illum mortuum Utero fuisse exclusum: quia nihilominus Partus septimestris quoque vitalis censeatur, nec omnis Uteri fluor cruentus Fœtum necessario enecet, submersio pulmonum eum quidem nondum respirasse, minime tamen nondum vixisse, testetur, nec Stercorum ante partum excretio infallibile intra Uterum mortui signum (dubium siquidem maneat, num in præsentī casu cadavera adhærescentia ante, aut post, partum ille excreverit) incertum pariter, an putredinis illud primordium in utero, aut extra eundem, ipsi evenerit, dum quarto demum a partu die inspectio facta fuerit, suggillatio Capitis enormior, violentiam non Cadaveri, sed viventi corpusculo, illatam augurari faciat; probabilius judicandum fore, partum illum mortuum neutiquam, sed viventer, fuisse exclusum. Anno 1702. d. 6. Febr. Facultatis Nostræ sententia itidem de Infante, ex Fœmella Stemmatis generosioris nato, & in Cloacam dejecto, ab hujus defensore rogabatur; num scilicet ex Specie facti hujusque circumstantiis infanticidium violentum suspicari liceat? qualem sequentibus pronuntiabat. Ecchymosin Integumentorum Calvariæ & Meningum, in Relatione Medica descriptam vivum natum indigitare, ideo, quod ejusmodi cruoris ad interstitia & compagem dictorum Involucrorum extravasatio suggillatoria in Cadavere neutiquam fieri possit: hocque per Pulmones illius in aqua fluctuantes magis confirmari.

Annecto his singulare & rarioris forsan observationis exemplum, ex Actis Inquisitionalibus in puncto Infanticidii, cujus prostibulum quoddam Dresdense accusabatur, de promptum. Nati Thoracis integumenta molliora, spongiosa & sero turgida, instar eorum, qui Anasarca laborarunt, a Medico & Chirurgis Sectionem Cadaveris administrantibus, deprehendebantur, Thorax totus aqua scatebat ac Pulmones rubicundi, compacti atque exiles ad spinam dorsi reclinati seu coacti: qui dum aquæ injiciebantur, protinus submergebant, nullumque violentiæ extrinsecus illatæ comparebat signum, quin Funiculus umbilicalis quoque integer, non avulsus, sed

sed Placentæ adhuc annexus seu continuus. Negabat, Facinorosa primo Foetum vivum se fuisse enixam, diffitebatur proin Infanticidium: Tormentis vero admota fatebatur & assererat utrumque, quod paulo post, ab his liberata, magna denuo constantia negabat. Cujus etiam sub Tortura facta confessio vel ideo dubia & hujus cruciatibus extorta videbatur, dum ejulasse ac vagiisse editum simul dixerat: quale quid vel ob ejus Thoracis Hydropeem, pulmonum explicationem sufflaminantem, vel quod Pulmones aquæ non innatarint, dictu ac creditu difficile, supervenientibus etiam his Circumstantiis, quod modo prostratione seu lapsu corpusculi editi impetuosiore in humum, modo Funiculi umbilicalis divulsione, illum se enecasse, dixerat: quorum tamen prioris nulla in Visitatione comparuerint signa, Funiculum etiam, qui huic præerant, integrum minusque laceratum testati fuerint. Et numne fieri potest, Foetum brevi ante partum vixisse, suggillationes in Capitis ejus Integumentis non tantum mollioribus, sed ipsis quoque Calvariæ Ossibus conspici, stercorata comparere linteamina, quibus ejusmodi recens natus involutus, ac facile peperisse Matrem; adeoque ex horum collectione hanc illum vivum enixum fuisse: quin tamen hæc signa Iudicio a pulmonum fluctuatione petito, semper ac undique annuant, Casus alterius generis, v. g. si Partus laboriosus maxime extiterit, simulque Infans stercoratus prodierit, evincunt. Quemadmodum, nec stercorum absentia cum submergentibus pulmonibus hunc mortuum exclusum semper ac necessario evincit: Dum sine illorum recrementorum excretionē aliquando ad tempus vivere potest idem, imprimis nondum respirans; nec adeo certe eum vivere sub partus conatibus semper dignosci, Genitrix autem improba, sine ejusmodi Capitis evidentioribus contusionibus aut depressionibus, variis aliis modis, tenellum interficere valet.

Quibus, an vivus mortuusve extiterit Partus, iudicio Medici expositus, ventilatis, ad alterum hujus Negotii momentum transeo, modos, recens natos enecandi frequentiores, qui ambiguitatem aliquam involvere poterunt, horumque circumstantias disquisiturus quo de Infanticidio actu perpetrato aut plenius constet, aut indicia ejus obvia plus minus infirmantur. Postquam ex Legum harumque Interpretum sententia, ubi de crimine puniendo decidendum, non sufficit, Matrem suspectam modum aliquem & instrumentum facinoris sui innuere, vel ab aliis de horum applicatione convinci: Verum simul indagare postulatur, num effectum funestum præstiterit hæc, h. e. misellum vere interfecerit, aut prolata ratione saltem interficere

Modum natum interficendi nosse, necessarium.

ficere valuerit? Nimirum Confessio ut probet, debet esse verosimilis, alias nihil operatur, sive per Torturam, sive sponte, emanaverit: ut v. g. non condemnetur mox, qui venenum propinavit defuncto, sed tunc demum, ubi in hoc comparuerint signa venenis propria, simul vero in cadavere ejus intoxicationis actualis indicia, i. e. hujus effectus solennes. Pari ratione Infanticidii suspicio aliqualis tantum ad hujus pœnam ordinariam decernendam minus adæquata creditur, nisi de modo & infantem occidendi ratione evidente plenius constet.

Nequitiarum seu technarum ejusmodi, huic exitiosarum, primum locum tenet Funiculi umbilicalis a Secundina avulsi aut præsecti, sive animo maligno, sive per ignorantiam, neglecta deligatio, ratione binarum Arteriarum, quas involvit, laceratarum Hæmorrhagiam lethalem inferens. Qualis tamen culposa Funiculi administratio tunc demum admitti valet, ubi multum sanguinis per vasorum dictorum aperturas promanasse, constat: cum parcior ejus profusio Tenellum ante partum expirasse innuat. Quam quidem circumstantiam dignoscimus primo, si vel Linteamina, quibus natus involutus, vel locus, in quo occultatus repertusve, multum cruoris profusi ostendant. Cujus momenti intuitu a Facultate Nostra Anno 1709 die 30 Martii pronunciebatur hunc in modum. Cum testantibus Actis, vix ultra horam in partu transegerit Mater, pone Cystam autem, ubi natus latitaverat, parum satis cruoris observatum fuerit, credibile magis videri, Fœtum intra uterum obiisse: dum vivus natus, non deligato Funiculo, plus Sanguinis rejecisset, adhuc sc. naturaliter tepescens, & motu cordis plus minus integro; ac post partum demum per illius deligationem neglectam interfectus. Deinde disquirere conveniet per Cadaveruli Sectionem, num vasa hujus majora sanguine adhuc scateant: unde non propter laceratum minusque obturatum Funiculum Natum periisse probabile sit; secus, si hæc evidenter exinanita deprehendantur. Disruptum eundem Funiculum casu & Fœtu a parturiente stante in humum ex improvise præcipitato, non raro accusant de Infanticidio suspectæ, firmantur etiam in effugio hoc a Patronis Causæ. Quibus equidem aliquando graves accidunt nonnulli Medici, divulsionem ejusmodi Funiculi, utpote secundum naturam tenacioris ac validioris compagis, nisi a corruptione fuerit arrosus, perquam difficilem asserentes, simulque metuentes, ne per præcipationem Nati impetuosioris Secundina potius, forte cum Utero quoque, protrahatur seu evellatur, quam Funiculus rumpatur. Ab Obstetricibus nihilominus peritioribus annotatum novimus, Parturientibus stan-

Funiculi umbilicalis ruptura lethalis.

si sc. hujus occasione notabilis contigerit Hamorrhagia.

An Funiculus aliquando casu rumpi solet?

tibus sibi que solis relictis, Foetum cum impetu ejusmodi exturbatum illum lacerasse, & quidem in hujus parte modo altiore, modo profundiore seu illi propiore: nisi extraordinariae magis longitudinis hic extiterit.

Nato aliquando exitiosa existunt Capitis contusiones.

Aliquando Partus etiam durioribus Capitis tenelli compressionibus ac contusionibus enecatur, (quamvis an sub conatibus parturitionis difficilioris gravioribus, an a Matre truculentiore post enixum tale quid factum, haud semper determinari queat) & violentiae illatae vestigia in Cadaverulis crebrius observamus, ideo suspecta, quod nullae sanguinis ex vasis capillaribus profusiones & suggillationes integumentorum, nisi in vivo nato, concipi, & in cadaveribus, nec rudiore contrectatione & contusione, evenire queant. Infanticidii inculpata Generosa Foemella, cujus superius mentionem feci, fingebat, ex Latrina e ductum Infantem, quem mortuum natum asseruerat & quatuordecim a partu diebus in illam dejecerat, sub decidentia & lapsu in glaciem illius loci contusiones, hincque cruoris suffusiones, in Calvariae involucri ac Meningibus Cerebri perpeffum fuisse; quales nihilominus non, nisi viventi adhuc Partui illatas, modo nominatum Collegium decernebat: quod ejusmodi cruoris extravasatio ad integumenta nominata in defuncto neutiquam, sed vivente tantum, corpusculo fieri potuerit. Cui parallelum judicium ab eadem Facultate die 14. Octobris Anno 1707. ad Requisitionem Patroni Cause, latum: Scilicet non obstantibus aliis momentis, Foetum forsan mortuum natum innuentibus, Suggillationem tamen Integumentorum Cranii, enormiorem Capitis contusionem & rupturam vasorum sanguiferorum, vivo illatam, hunc, enecasse, verosimile videri.

Præfocatus aliquando recens natus.

Porro præfocatos atque strangulatos recens natos Acta forensia pariter tradunt, in quali tamen occidendi seu necis genere admittendo itidem circumspectos satis decet esse Medicos desuper deponentes. Circumstantiae seu momenta, in ejusmodi occasionibus attendenda, modo omni suffocationi communia, modo huic vel illi propria seu peculiaris, observantur. Communium evidens maxime existit Faciei & Capitis intumescencia, ac illius, Colli & Humerorum Livor atque Rubedo obscura: a Circulatione Sanguinis videlicet, per Interceptam respirationem & Venarum jugularium compressionem, impedita; item Os, Nares ac Pulmones sero seu muco spumoso scatentes. Quale quid proin si minus fuerit conspiciendum, de suffocatione Nati dubitare concedit, dubitabat etiam Facultas Medica hujus loci A. 1702 die 16 Februarii de infante, qui ex rivo mortuus, cum Vinculo circa collum constricto protraheretur & strangulatus conserebatur: propter signorum seu

signa suffocati infantis communia.

phenomenorum recensitorum defectum. Quia nihilominus Respiratio-⁶ *propria*
nem interpellant, modo quæ Collum cum Trachea constringunt seu compri-
munt, modo quæ fauces tantum obturant, in casu priore advertendum,
num Funiculus simileve constrictorium Cervici profundius impressum, seu an
ejusmodi impressionis vestigium evidens cernatur, Circulus nempe in collo
hujusque imprimis antica & lateralibus partibus conspicuus, rubicundus,
aut fuscus, Cutis rugosa, Musculi substrati plus minus suggillati: sine quali
arctiore constrictiore Trachea nec præcludi: nec Aeris per hæc recipro-
catio vitalis sufflaminari, poterat. In altero casu, seu ubi linteaminum *Profunditas*
similiumque obturamentorum in os intrusionem vel infarctum Matrem impiam *fauces in-*
Nati suffocationem molitam fuisse videtur, an talem per illa vere præsti- *trusorum de-*
terit, an secus, non raro ambiguum evadit, si de modo & profunditate hujus *scernenda.*
intrusionis haud sufficienter constet, ut vel Observatio proxima declarat.

Nimirum Anno 1690 die 30 Septembris Iuvenula quædam ex clande-
stino coitu Puellam peperrat, hancque in Latrinam, mortuam, ut ajebat, de-
jecerat: quam paulo post tamen vivam se enixam fuisse, ac linteaminæ præcin-
ctorio ori ejus impacto, ne ejularet, suffocasse fatebatur; postmodum Con-
fessionem illam temperabat, nimirum linteo hoc superficialiter tantum se
os ejus obtegisse, seu illud huic admovisse, *nur an das Mäulgen gehal-*
ten/ modo leviter illud immisisse, ac perpauca tantum momenta in hoc re-
liquisse, dicens. Quas circumstantias variantes apprehendens Defensor,
pro innocentia Inquisitæ adducebat, quod ore natæ leviter tantum per Præ-
cinctorium obturato, i. e. per hoc illi minus profunde adactum, haud suffo-
cari potuerit illa: cum imprimis obturaculum hoc non adeo diu in ore
ejus reliquerit, & sub hac oris leviori obturatione Respirationi patula per
nares via manserit. Cui ego, a Pratore desuper requisitus, regerebam,
Naribus quamvis externis hac ratione minus coarctatis, viam nihilominus
fauces atque naribus intermediam, forte hac ratione fuisse præclusam,
sicque respirationem Puellæ utique sufflaminari potuisse, aut nares forsan
mucosæ, in recens natis frequenter opletas suffocationem juvissæ. Et, tametsi
de mora lintei intra fauces minus exacte constaret, brevem tamen forte mor-
ram interimendo Infanti extitissæ adæquatam: qui a partu recenti debilis,
spiritum trahere tantum inchoaverit. Hocque eo magis, quod per Hæ-
morrhagiam vasorum umbilicalium haud deligatorum, nec non caloris ex-
terni fotum aliorumque necessariorum administrationem neglectam infans
simul viribus fractus fuerit. Ac denique per superficialem tantum Lintea-

minis immiffionem phlegma illud glutinosum, quo fauces modo natorum pariter ut plurimum infarctæ, ab ore forfan antico ad hujus angustias pofticas & Laryngem retrufum, ficque fpiritus reciprocationem interceptam fuiffe. Magis anceps Collegio Nostro obtingebat Cafus, quem Scabini Wazdorffiani in Sira, mense Aprilis præteriti anni difquirendum exponēbant, Partus nempe feptimeftris aut ad fummum Octimeftris, quem a Genitrice fuffocatum fufpicio ferebat: Linteamine feu Mappa aliquoties complicata & ori atque naribus-ejus fuperimpofta, concurrente infimul, illius imbecillitate, præcocius editis confueta, ac deficiente Regimine Tenellis ejusmodi neceffario. Quamvis nihil certi hoc in paffu Nobis decernere licuerit, dum Mater ipfamet in circumftantiis, fcitu neceffariis, recensendis fibi haud conftabat, afferens modo, fe Nato linteamen tantum injeciffe, modo complicatum ori ejus arctius impofuiffe, modo hunc eodem obvolviffe; ignorare pariter fe fingeat, quamdiu fub velo hoc ille vixerit: hinc in dubio linquens nos, an ab infttrato eodem fuffocatus perierit.

Etiā aliarum rerum infarctus recens natorum fuffocant.

Nec miffum facere poffum, ab aliarum quoque rerum, aliquando paradoxarum fatis, infarctu Guttur, ad lethalem ufque fpirationis interceptionem fuffulciri: hujus admonitus ex Cafu, quem 1. Septembr. Anno 1684. a Prætoze ac Senatu Iflebiensî Facultatis Noftre fententiæ expoſitum, recorder. Mortuum a fe editum quædam Agnes Sophia Bolazia afferuerat, in cujus Capite nihilominus Contuſiones hinc inde variæ, Funiculus umbilicalis abruptus & Os cineribus refertum cernebantur: emergente hinc Quæſtione, numne præter cæteras internecionis cauſas hanc quoque feftinariæ cinerum infarctus, aeris permeatum intercludendo. Quem quidem Mater ſuſpecta fortuito obtigiffe ajebat, cum ſtans enixa fuerit infantem, capite in humum, in qua cinerum acervus, præcipitatum, ficque aliquid horum admittentem: eo ipſo vero, dum ille mortuus (ex illius aſſerto) hinc minus inſpirarit, tantam cinerum quantitatem illum attrahere haud valuiſſe, augurabamur, & non tam per illapſum fortuitum, quam ex conſilio & manu intruſis, cineribus refertas fuiſſe illius fauces.

Sub integumentis quoque craſſioribus ſi detineatur, perit.

Refero huc pariter illum ſuffocationis modum, quo Natus ſub ſtragulis, culcitrîs ſimilibuſque operimentis, ſimulque in ſordibus ac excretis partus, detinetur, item intra Femora Infantici dæ comprimitur, cujus Exemplum Quæſtor Langen-Salienſis Anno 1700. mense Decembris nobis ſuggerebat. Ubi equidem nulla a Medico in Infante obſervata erant violentiæ externæ veſtigia, vixiſſe interim præter natantes Pulmones ipſa Mater aſſe-

afferbat: quem a Secundina minus liberatum sub stragulis atq; recrementis parturientibus consuetis, relictum ac intra femora genitricis compressum, ex aeris appulsu denegato & Thoracis motu impedito, seu suffocatum, periisse, *It. si a partu in faciem con-* probabile judicabamus. Quale Infanticidii genus promptius conjiciendum, si sub situ, quo partum ordinarie excludi innotescit, facie nimirum *versus lingua-* ore ac faucibus posteriora spectantibus, hisq; incumbens seu pronus hic diutius manserit: quantum enim situs hic modo editis præjudicet, rudiores nedum Obstetrices nos docent, dum hos statim, ac manibus suis excepturunt, invertunt & inversos in gremium ponant.

Ratione Spumositatum in Faucibus ac Fistula Pulmonari repletarum, quas *Spumofitas in faucibus non infallibile suffocationis signum.* suffocationis violentioris signum communiter tradunt, advertere conducet, phænomenum hoc aliquando fallere, hinc solitarium Infanticidio inferendo pariter vix adæquatum existere indicium, dum Epilepsia quoq; decumbentibus ac occumbentibus non adeo infrequens deprehenditur similis Spuma: ut proin vitio verti nequeat Medico, si, ubi non alia insimul Suffocationis ab extra factæ signa concurrant, in deponendo ambigat, suamque potius sententiam suspendat. Cujus festinationem etiam hoc disuadet, quod, cum fauces recens natorum mucò seu sero viscidior ordinarie scateant, fieri facile queat, ut uno alterove leviore anhelitu, mox a partu & brevi ante obitum spontaneum tentato, adeoque sine omni causa externa, illud in spumam elevetur: sicque decipiatur, qui Infanticidii conjecturam ex hujus solius conspectu confirmare suscipit. Quinimo ex adverso contingere potest, ut, sine ejusmodi spumositate circa fauces comparente, suffocando extinguatur ejusmodi tenellus: v. g. si illæ linteaminibus obturentur, serum spumosum imbibentibus seu absorbentibus; aut hic in latrinam similemve locum cœnosum præcipitatus fuerit, hujusque illuvies Spumositatem talem obliteret. Ut mittam, ipsas aquas limpidiore, si forte his submergatur Infans, illam diluere ac detergere: aut, quia his injectus sine notabili renitendi seque elevandi conatu ac facultate, mox opprimitur, talem spumam vix produci seu formari.

Idem observari solet in natu majoribus, hoc est, aliquot septimanarum ac mensium, si repentina & clandestina morte perierint ac suffocati præsumantur, quibus Spuma turgescens, aliis circumstantiis deficientibus, mox categorice hoc asserere vix concedit. Atque hoc quidem multo minus, si denatum Epilepsia alias expositum constet, aut Dentitione similive affectu, qui ejus frequentior occasio existit, laborarit: qualem morbum, propter conturbatam

hinc respirationem, spumam circa os ut plurimum producere, vel in vulgus constat. Proin si in tali casu deponendum fuerit, per collectionem demum plurium phænomenorum hoc tentet Medicus. Sc. se deprehendisse infantis nupera nocte mortui faciem lividam aut ex atro rubicundam, os & nares spuma obstitas, aperto vero cadavere pulmões pariter sero spumoso refertos: quarum circumstantiarum intuitu & cum de cœtero cunctæ, tam externæ quam internæ partes sanæ & optimæ constitutionis deprehensæ, probabile videri, eundem a mole quadam ponderosiore, quæ faciei aut pectori ejus incubuerit, aut alia forte ratione, fuisse suffocatum:

Hi sunt modi natos suffocandi crebriores & Meretriculis impiis solentiores: quin tamen aliis quoque insuper tale quid vel per incuriam & negligentiam, vel magis dolose, ab iis patrari queat, ex illis, quæ circa partum magna cum cura agere novimus Fœminas sagatiores, non sine omni ratione auguramur. Pronum seu in faciem atque pectus conversum Infantem ordinarie nasci, penes omnes in confesso est: in quali tamen corporis situ ille minime linquendus, sed mox in latus alterutrum convertendus, ut facie sua Obstetricem assidentem spectet: Ne videlicet pronus diutius jacens, spiritum forsitan tardius ac difficiliter trahat; supini vero os ac nares a colluvie aquarum & cruoris, partus proxima pedissequa, ad suffocationem usque opleantur. Unde subsumere adigimur, quam facile cautela hac neglecta, & si Puerpera ejusmodi clandestina hanc situs in nato mutationem haud studiose advertat negligatque, aut Infanti quoad hæc minus oportune subveniat, neci tradatur hic, nulla alias adhibita violentia evidente, h. e. non quidem committendo, ommittendo tamen, peccet ac infanticidium committat.

pronus & in faciem natus si diutius jacens, perit;

Item, si a Secundina non quantocyus liberetur.

Nec Obstetrices aliasque Fœminas peritiores latere potest, quam perperam cum Nato agatur, si a Funiculo & Secundina non sat cito liberetur, hæcque ab illo non quantocyus separetur: ita ut penes Illas in usu observetur, partum, si forte illa hunc non mox sequatur, præciso funiculo, remove-re. Quo nimirum balneo quamprimum committi & sub enixu viribus fractus hujus fotu calido fuscitari & mortuus visus in vitam revocari possit: antequam nimirum, ambitui uteri tepidiori adsuetus, ab atmosphæra frigidiore nimis alteretur. Secus quidem aliæ Muliercularum harum sentiunt, non protinus nempe segregandum a Secundina infantem, dum per hujus & sanguinis per funiculum circulati seu agitati motum secessus & excretio Secundinæ ab Utero, cui forsitan tenacius adhærescat, juvetur. Earum tamen opinioni multum autoritatis derogat hoc, quod Natus imbecillior parum aut nihil aliquan-

aliquando, motus exerat, hinc Epat uterinum per Funiculum illum vix agitare & commovere queat: nec concedente hoc longitudine ejus ordinaria, ratione cujus nihil impressionis seu vellicationis ab Infante ad illud emanare valet. Neque motus Sanguinis, per umbilicalia vasa undulantis, firmitus ad hærescentem Secundinam commovere potest in Nato viribus destituto: postquam Experientia frequentiore edocemur, nec robustissimum semper illam mox sequi, multo minus ab imbecilliore, per cujus vasa umbilicalia vix tantillum sanguinis fertur, aliquid exagitationis illa sibi promittere poterit. Stante proin, Nati connexionem cum Epate uterino hujus exterminationem minus juvare, nec illum Balneo similive fomentatione calidioris sub eadem commode & secundum exigentiam, tractari posse: quid impedit, quominus interim hac ratione, seu sub tardiore Nati a Secundina remotione pereat ille; sive hoc contingat per clandestinæ nascentis ignorantiam, sive malitiam & culpam plusminus latam.

Metuendum simile quid a Placenta, mox simul equidem cum Fœtu excussa, ab hoc tamen minus tempestive seu non illico sequestrata: dum hæc vitalitate maximam partem orbata & tantum non cadaverosa, non, nisi cruorem grumescentem, nihilque vitalitatis ac virium, illi concedit; quin potius aliquid corruptelæ suæ inchoatæ impertitur. Quæ proin clandestinarum ejusmodi puerperarum vel per imperitiam, vel dolose, hoc agere negligunt, culpam infanticidii gerunt, illud omittendo, quod Nato interneconi cedere poterat. Recordor quidem pravi illius moris, a *Spigelio* & *Sennerto* comprobati, quorundam Obstetricum, quæ, antequam Funiculum præscindant ac deligent, Cruorem vasis ejus inexistentem digitis suis versus Infantem urgent ac repellunt: inepte sibi persuadentium, hac ratione refocillari maxime illum, forte debiliorem. Ast cum summo Tenelli vitæ periculo tale quid ab iis fieri, inde judicare est, quod canalibus his refrigatis, sanguis quem continent, omnem mox vitalitatem deponat & congelascit, hinc ad interiora ejus delatus & latici vitali intermixtus hunc pariter corrumpat & graviora in illo Symptomata patret; quorum genuinam causam nec sagacissimus Medicorum subolfacere, nec eidem mederi, potest.

Recens deniq; nato exitium non raro infert Regiminis necessarii neglectus, hoc est, si a mucositatibus, quibus ad infarctum ejus Nares ac Fauces frequentius scærent, non oppido liberetur, a quibus tamen solis aliquando suffocatur: aut si idem contra aeris injuriam externam saltem non mox per Linteamina, Fascias similiaq; integumenta, Balneum aliaq; Fomenta calidiora præmuniatur.

Calidiori

It: si regimini necessario recens natus defraudetur.

Calidiori siquidem atmosphæræ in Utero hætenus adsvetus externam sine evidente sui damno non æque ferre valet: quin brevi ab hujus solius rigore, absque ulla alia violentia, suffocetur ac enecetur. Quibus curis & administrationibus necessariis posthabitis si pereat Infans, Infanticidii non raro deficiunt indicia, Medico nihilominus ad deponendum postulato, scitu necessaria maxime.

A P P E N D I C I S.

DISSERTATIO II.

DE

VIVIS MORTVISVE AQVÆ

SVBMERSIS, SVSPENSIS AC

VVLNERATIS.

Contingit aliquando dubitare 1. de Homine ex aqua protracto, an in illam vivus mortuusve fuerit demersus 2. de Suspenso reperto, vivusne an mortuus suspensus? ac 3. De Vulnerato, num vivo mortuove inflicta fuerit plaga? Quarum disquisitio pariter ad Medicos devolvatur, determinationis aliquando arduæ satis, & ex phænomenis in Cadavere conspicuis non adeo facile eruendæ. Variis siquidem dum artibus nefarii homines crimina sua celare contendunt, non mirum, infinitas fraudes hæc in finem fingere, ut Magistratum, Vindicem eorum, fallant, quibus discutendis equidem Ars medica aliquando præsto est, interdum tamen vix sufficit: modi interim ac signa, negotia ejusmodi investigandi, penes diversos Scriptores leguntur, *Paræum* v. g. *F. Fidelem*, *R. a Castro*, ac *Zacchiam quæst. med. legal. l. 5. tit. 2 quæst. ii.* congesta; quorum monumentis unum alterumque subnectere nunc intendo.

*Signa viventis
aut mortui
submersi.*

Quoad prius, communis est traditio, illius, qui undis vivus submersus fuerit, Cadaver Digitorum extremitates attritas & excoriatas monstrare, quod nimirum ille quovis extremo molimine obvia quævis perfringere, eripere ac effodere, hincque emergere attentarit, sicque dum salvare se molitus fuerit, in proprios digitos, instar furibundi; sævierit: quale quid in Cadavere ejus, qui in illas mortuus conjectus, cernere haud detur, conatu ejusmodi desperabundo destituti, quique vita jamdum privatus cum morte minus colluctatus fuerit. Præterea in ore ac naribus ejusmodi submersi viventis mucum observari ajunt spumofum, elevatum ab iis moribundi conatibus ultimis, quibus spiritum agitare annisus fuerit, & sub hoc molimine simul tum humorem salivalem

valem

valem, quam aquam ab extra appellentem, in Spumam redigerit: dum contra Cadavera aquis injecta nec respirationis reciprocatione opus habeant, nec huic moliendæ paria existant. Addunt demum his, Abdomen & Thoracem illius, qui vivens in aquam præcipitatus fuerit, valde tumidum conspici, Pulmonibus nimirum, Ventriculo ac intestinis aqua subeunte refertis ac turgescens; in hoc vero, cujus cadaver demum submersum, nihil ejusmodi intumescentiæ, nihil aquæ in interaneis, reperiri: in priore canalibus ad hæc patescens, quinimo aqua, sub ultimis anhelandi conatibus pulmonibus impulsâ, in posteriore oclusis ac constipatis.

Docuerunt idem olim omnes Medici, ex Signis his Prætori Suspicionem non unius generis subministrantes, & aliquando Inquisitionis argumenta fugerentes: qualia tamen multum ambiguitatis involvère ille fateri non erubescet, qui Experientiam Autoritati ac pluralitati conspirantium anteposit. Scilicet haud omnino frivole infertur, illum, cujus in undis reperti digitorum extrema, forsân aliæ quoque partes nudæ, evidenter laceratæ, illarum vi suffocatum fuisse, per sermocinationem declaratam: neutiquam tamen hoc mox negare convenit, si forsân illæ integræ offendantur, v. g. in recens natis, ad primum mox aquarum contactum, ac sine ullo renitendi nisu suffocatis. Ne de Melancholicis dicam, qui salutem ex aquarum oppressione quærunt, nec de Ebriis, qui sensuum torpore obruti & quasi somnolenti tale quid sustinent. Circa os atque nares perfectioris ætatis hominis aquis submersi quæ comparet, Spuma indicio est, eundem sub aquis demum interiisse, huncque gargarisando quasi illam formasse: de recens edito autem dubitare conceditur, spumositatem hanc illi connatam seu a partu relictam forsân esse. In cujusvis vero ætatis homine quid impedit, quominus hæc sub aquis in submerso elavata Spuma ab iisdem denuo eluatur & abstergatur, hinc deficiens eum extra has interemptum fuisse falso persuadeat.

At quod demum aquæ ad Ventres horumque Viscera, in primis Pulmones ac Ventriculum, subingressum spectat, hujus argumenti vim probandi confirmant, qui cum Veteribus, Græcis æque ac Arabibus, periculo aquarum ereptos mox studiosius in caput convertunt, seu pedibus quasi suspendunt, ut aquam ingestam prompte exturbent: quinimo hujus rejectionis juvandæ causa illum super cupam seu dolium rotant, ut penes *Alex. Benedictum 7. de morb. cur. Aquâ bibentium cap. 3. Codronchum de iis, qui aquis submerg. Christoph. a Vega art. med. libr. 5. tium submers. f. 5. c. 8. & Th. Bartholin. 6. hist. 68. videre est.* De quali tamen suffocatos per aquas in vitam revocandi remedio dubitare oppido jubent illi, qui sine ejus-

dem administratione & sola sub stragulis calidis fomentatione, frictione & spirituoforum internorum atque externorum usu idem feliciter se præstitiffe perhibent, v. g. *Forestus 15. obs. 26. Platerus obs. p. 284. Langelot in miscell. N. C. decur. 1. Anno. 6. obs. 20 & Pecchlinus de vita sub aquis aliq;* qui ejusmodi homines tractarunt: quibus præfidiis *Forestus l. a* Decoctum florum Chamomillæ, tanquam singularis in ejusmodi casu virtutis, addit & præ aliis commendat. Ipsemet quoque *Zacchias & Rod. a Castr.* circa hoc experimentum, ab ingurgitatione aquæ petitum, ancipites hæere videntur, dum *Prior. l. a. quest. 11 & 12* illos, qui in aqua pereunt, non tam propter molem aquæ, quæ interiora eorum opplerit, quam impeditam potius respirationem, suffocari, tradit, Posterior non cuncta eorum Cadavera, ob inclusam aquam, sed propter vapores, in quos sub aquis horum fluida resolvuntur, inflari ac intumescere scribit, illa videlicet, quæ diuturniore sub illis mora putredinem contraxerint.

Quod Experimenta edoces.

Verum, quod potissimum, olim jamdum, cum Professoris publici officio adhuc fungerer, non unam Infanticidam, Supplicio Culci enecatam, me secuisse atque hac occasione Spectatores ad advertendum admonuisse, memini: nihil tamen aut parum aquæ in ullius Pulmonibus ac Abdomine deprehendisse. Quinimo, ut hujus rei certior evaderem, canes aliquot huic meæ curiositati & aquis viventes litavi: in neutro tamen horum hinc extracto aquam haustam offendi. In quo me insuper confirmarunt *Platerus quest. medic. VValdschmid. in Ephemend. Nat. Cur. decur. 2. ann. 6. obs. 153 & Job. Conrad Becker in tract. de submers. mort. sine potu aquæ.* Quemadmodum idem Experimentum hincque petitum Argumentum, quasi, si in homine, ex aqua protracto, nulla aqua reperiat, inferretur, mortuum, non viventem, eundem in hanc præcipitatum fuisse, *Facultas Nostra Anno 1689 d. 6. Aprilis* suspectum ac fallax declaravit: ideo nimirum, qua per aquam suffocati non, quod interiora eorum eadem repleantur, sed quod per hujus ambitum acris usus iis denegetur, pereunt. Demum contrarium probabilius videtur, Cadavera aquis submersa æque ac illorum, qui vivi in easdem præcipitati, si diutius sub his linquntur, tandem per canales laxatos aquam aliquando forsitan admittere, proin in deponendo pariter fallere utraque, si diutius sub illa hæserint.

Unde concludo, bina equidem priora signa in discernendo cadavere viventis ac mortui submersi, cæteris paribus, alicujus valoris, tertii autem, quia

quia falsa innitur Hypothesi, vim nullam omnino videri: ita tamen, ut illum etiam circumstantiæ atque indicia combinata moderentur, temperent atque infringant. Ita v. g. si constet de hominis submersi dementia, si de hostis animo vindicativo, illumve per loca ignota ambulasse, simulque protracti ex Aquis cadaveris manus, aut chirothecæ, quibus forsan hæ indutæ, hinc inde laceratæ, nasus vero atque os spuma referta vel obsita cernantur; hæc vix dubitare sinunt, illum viventem aut in aquam cecidisse, aut præcipitatum fuisse; contra, si ejusmodi indicia deficient ac de aliis violentiæ illatæ generibus horum signa testentur, propinati e. g. toxicæ, Facies livida ac inflata, Lingua tumida, nigra & extra buccas longius prominens, Stomachi facies exterior rubra aut fusca, interior vero hinc inde arrosa & quasi cauterifata, sine digitorum conspicua attritione, appareant.

Par ambiguitas circa illos emergit, qui strangulati reperiuntur, si de his, an viventes adhuc, an mortui demum, suspensi fuerint, Medicus depocere postuletur: cui equidem discutiendæ *Pareus* & *F. Fidelis* allaborarunt; Vibus mortu-
us & suspen-
sus. ast forsan non undique feliciter. Signorum illorum distinctivorum frequentiora traduntur, quod in suspensio vivo funis seu laquei strangulantis observetur vestigium sive impressio in Iugulo & lateralibus Cervicis partibus, vel rubedine, vel fuscidine, livore aut nigredine conspicuum. A quali funis constrictiva impressione, annotante *Pareo*, rugosa & contracta etiam cernitur cutis propinquior. De cætero livida comparet Facies, Humeri & Brachia, a Circulatione sanguinis cum impetu intercepta: quinimo Caput & Thorax tumidior aliquando, utraque a sanguine intra horum Integumenta stagnante, Thorax vero insuper ab ultimo inspirandi conatu quia in diastole explicatus permanserat. Muco spumoso, plus minus cruore tincto, scatent Os atque Nares: Lingua tumidior ac nigricans extra dentes cum Oculis prominet, a Circulatione pariter impedita ac anhelitu violentius intercluso. Urinam aliquando in agone profundunt ejusmodi strangulati & advertente *Zacchia*, Membri virilis tentiginem, cum ejaculatione seminis, præ se ferunt: symptomata sc. spasmodica, strangulatis crebriora. Larynx in quibusdam lacerus, attritus & quasi conquassatus deprehenditur, si nimirum funis strangulatorius ipsi propius adactus fuerit: hoc tamen rarius contingit, vixque fieri potest, ubi ille infra Guttur aut supra hoc Tracheæ caput, seu proxime sub mento, Collum constrinxerit. Addunt his nonnulli Luxationem Vertebrae Cervicis secundæ, quale quid tamen rarioris observationis:

nimirum in illis tantum, qui a manibus Carnificum suspendii supplicium passi, quibus in nonnullis locis solenne est, mortis accelerandæ causa Cervicem delinquentis torquere ac inflectere sicque Vertebram hanc plus minus dislocare. Qualium signorum & symptomatum si nulla compareant, Cadaver saltem hominis suspensum fuisse, probabile fit.

Exemplum bi-
sentis sus-
pensi:

Utriusque casus exempla & super hæc deponendi formulas *Chirurgus ille Gallus des Rapports* p. 516. 517. &c. subministrat, quales, quia rarioris observationis, in tyronum gratiam transcribere haud pigebit sequentibus. Nos Medici & Chirurghi Regii, ad Requisitionem & in Præsentia Commissarii, visitavimus Cadaver Fœminæ septuaginta circiter annorum, quæ semetipsam suspenderat, exhibens Linguam nigram, tumidam & extra os prominulam, cum recremento oris & narium glutinoso atque ex atro rubicundo. Invenimus dictum corpus pedibus humum contingens seu humotenus innitens, & Collo mediante laqueo ex tænia duplici parato ac nodo crassiore instructo, tigno affixum: ita quidem, ut funiculi hujus Orbiculus quasi capistriformis, inter Mentum ac Laryngem, per angulos Maxillæ inferioris, inter aures atque Apophyses Mastoideas ad Occipitium latus, profundam sui impressionem in partibus his, sub Menti potissimum medio, quod nodus ille crassior contigerat, reliquerit. Adeo ut ex his cæterisque in Actis enarratis circumstantiis, & postquam singula membra exactius lustraveramus, judicaverimus, solam laquei admoti stricturam huic Veturæ mortis causam extisse. Sicut contrarium casum, i. e. post mortem demum suspensæ, ac de hac testificandi schema ex eodem Scriptore l. a. petere licet sequens. Nos Medici ad Relationes ejusmodi deputati ac a Magistratu Loci postulati Cadaver fœmineum in horreo offendimus, de trabe suspensum: cujus facies naturalis seu consueti coloris, nihil spumæ aut recrementi visceridi in ore ac naribus monstrabat, in Lingua nulla nigredo, nec minimum rubedinis, livoris aut ullius coloris peregrini in Collo aut funiculi stringentis tractu comparebat. Cætera vero corporis membra lustrantes exiguum in latere Thoracis dextro deprehendimus vulnuscum, sub mammilla propendente occultatum, inter quintam ac sextam Costam veram pectoris cavum & in hoc totum Cor, ad cruoris ingentem ad hoc profusionem, perforans. Ex quibus observatis, collective sumptis seu simul ponderatis referre adigebamur, plagam hanc Thoracis & Cordis Fœminæ huic ante strangulationem inflictam solitariam & genuinam mortis ejus extitisse causam, & post hanc demum cadaver fuisse suspen-

Exempla bi-
namortua
suspensa,

suspenſum. Simile quid ad Requiſitionem Quæſtoris Senfftenbergenſis Anno 1708. d. 19. Octobris factum, ex *Actis Collegii Noſtri* commemorare liceat de Fœmina quadam ſuſpenſa reperta: cujus quia nec facies, nec Collum, nec Humeri cum Thoracè peregrino colore imbuti, nec Oculi prominentes, nec Lingua tumida ac nigra, nec veſtigium laquei deprehenſa fuerint, utrumque potius Abdominis latus, a Coſtis nothiſ, Lumbi ad Podicem uſque ac Femora livida, fuſca atque ſuggillata comparuerint, hoc concludebat, illam non tam viventem ſe ipſam ſtrangulaſſe, quam ejus Cadaver poſt fuſtigationem & verbera lethalia ſuſpenſum fuiſſe.


Tandem de illorum Cadaveribus, quæ vulneribus conſoſſa reperiuntur, dum forſan ambigitur, utrum hæc homini adhuc viventi an mortuo, illata fuerint? diſcernere hoc ſatagunt *Paræuſ* atque *Zacchias* hunc in modum. Nimirum plagas rubicundas, cruentas ac quarum labia tumida & livida, viventium; plagas autem nec rubras, ſed pallidas, nec cruentas, & quarum labia flaccida, defunctorum, eſſe. Aſt hallucinari utrumque horum, Experientia imprimis evincit, quam in enunciando illi neglexerunt, per quam nihilominus conſtat, haud cuncta vivis inſiſta vulnera in cadaveribus horum rubicunda, cruenta & tumida, quinimo pleraque eorum pallida atque flaccida, conſpici: dum quicquid rubedinis ac inflationis in viventibus poſſident, ſive a carniū vitalitate, ſive earum inflammatione, hoc habeant, cum vita deponunt, & per conſequens in quo viſ cadavere ſauciatorum fruſtra quæritur. Cruenta autem obſervantur nunquam in cadavere, ſed in actu tantum, & viventibus ſubjectis, & quidem primis diebus tantum, ubi cruore adhuc ſtillant; ſedata vero omnimode eorum Hæmorrhagia tunc ceſſat quoque cruentatio: adeo multo magis in defunctis, quorum Cruor undulare & per tubulos carniū laceratos prorumpere deſinit. Proin ita quidem concludere conceditur, tument, rubent & cruenta cernuntur in Cadavere aliquando plagæ eorumve labia illius, qui vivus fuit percūſſus: haud tamen inſallibilis videtur conſequentia, illum, cujus vulnera recensita phænomena præ ſe minus ferunt, cadaveri demum ejus fuiſſe inſiſta; ob rationem nimirum declaratam. Tumor labiorum ſine dubio emergit ab aliquali Labiorum inflammatione, qualis in vivis jamdum non raro ceſſat: imo dum labia eadem aliquando ad exitium uſque vulnerati ſubſident, flaccida ac livida ſimul evadunt, ſuperſtite adhuc eodem.

Num ſiſus mortuus & vulneratus.

Fallunt hunc in ſinem additæ phænomena.

Majoris proin momenti ajerem illud Zacchiæ criterium, vasa hujus, qui vivus fauciatus fuit, flaccida & inania maxime, in illo, qui post obitum vulneratus, sanguine turgida & repleta adhuc, cerni: idque ideo, quod per viventis vasa & carniū fibrillas discissas sanguis promptius feratur, penetret ac prorumpat fluidus adhuc, vitali elatere turgidus, & a Cordis Embolo vibratus: deficit contra uterque motus & cruor grumescit in Cadavere, si hujus partium unitas solvatur, proin nihil aut parum hujus per vulnus ejus rejicitur. Nisi obstaret, vulneratum ex diversis aliis præter Hæmorrhagiam causis fati cedere, utut exile vivens perpeffus fuerit cruoris profluvium, sed potior hujus massa intra vasa asservata fuerit: unde deciperetur, qui ex sanguinis in cadavere exuperantia mortuum vulnerratum crederet, vivens nihilominus qui vulnus exceperat.

F I N I S.



INDEX RERVM.

A.

<p>Abdominis lymphaticorum vasorum vulnera lethalia. 164</p> <p>Abdominis nervorum vulnera lethalia. 164</p> <p>Abdominis percussiones aliquando lethaliter adficiunt fœtum. 161</p> <p>Abdominis vasorum exiliorum vulnera lethalia. 33</p> <p>Abdominis vasorum sanguiferorum plagæ mortifera. 163</p> <p>Abdominis viscera ad thoracem rapta lethalityatem aliquando sufflaminant. 137</p> <p>Abdominis vulnera lethalia. 139</p> <p>Abdominis vulnera quid lethalia reddat. 39</p> <p>Abscissum thoracis ac abdominis exempla a commotione cerebri. 101. 102</p> <p>Æger quando vulnus leve ad mortem intendat. 60</p> <p>Ætas juvenilis cur trepanationem non ferat. 46</p> <p>Ætas nihil derogat lethalityati. 45</p> <p>Apostema & erosiores partium inferiorum a capitis vulneribus. 55</p> <p>Aqua interanea vivorum submerforum haud subit. 193</p> <p>Arteriarum brachii ac fœmoris vulnera quando lethalia. 36</p> <p>Arteriarum carotidum & cervicalium vulnera lethalia. 118</p> <p>Artuum vulnera quæ lethalia. 118. 165</p> <p>Asperæ arteriæ partis internæ s. inferioris vulnera sunt mortifera. 121</p> <p>Asperæ arteriæ summitatis vulnera, etiam cartilaginum, sanata. 120</p> <p>Atmosphæra aliquando vulnus per se lethale reddit. 52</p> <p>Azygos venæ vulnera lethalia, 131</p>

B.

<p>Biliaris vesiculæ vulnera lethalia. 153</p> <p>Biliaris vesiculæ vulnera cur lethalia. 154</p>

C.

<p>Cadavera vivorum submerforum unde intumescant, 194</p> <p>Calvaris crassities & soliditas in cadavere quodam fœmineo extraordinaria. 44</p> <p>Capitis contusio interdum lethalis, interdum non. 25</p> <p>Capitis enormiores; contusiones unde cognoscendæ. 75</p> <p>Capitis integumentorum externorum vulnera haud lethalia, 76</p> <p>Capitis læsionum lethaliu exempla, 75</p> <p>Capitis percussiones difficulter dignoscuntur. 41</p> <p>Capitis percussiones thoracis ac abdominis extispicia postulant, 102</p> <p>Capitis vulnera ab instrumentis secantibus minus periculosa iis, quæ a contundentibus, 94</p> <p>Capitis vulnera cur nunquam tuta, 2. 75.</p> <p>Capitis vulnera cur quædam sero symptomata gravia & mortem adducant. 58</p> <p>Capitis vulnera lethalia, ubi cranium illæsum. 81</p> <p>a Capitis vulneribus apostema & erosiones partium inferiorum, 55</p> <p>de Capitis vulneribus iudicium difficile. 74</p> <p>Cerebelli vulnera cur præ cerebri læsionibus lethalia, 96</p> <p>Cerebrum quibus concussu non omnes mox duris corripuntur pathematis. 99</p> <p>Cerebri & Cerebelli substantiæ vulnera quæ mortifera, 93</p> <p style="text-align: right;">Cerebri</p>
--

INDEX RERVM.

Cerebri commoti cum vasorum sanguineorum ruptura exempla.	97. 98	Choroidei plexus hæmorrhagiam nulla arte compescere licet.	94
Cerebri conmotio signa.	97	Chylus & Lympha non facile corrumpuntur.	149
Cerebri commotio aliquando absque vasorum sanguiferorum laceratione evenit	100	Colli vulnera quæ lethalia.	118
Cerebri commotio a sternutatione	97	Colli vulnerum lethalium exempla.	119
Cerebri commotio ab alapa.	66	Colon intestinum cur facile coalescat.	145
Cerebri commotio cum lymphæ evacuatione lethalis.	102	Constitutio individualis aliquando vulnus per se lethale reddit.	44
Cerebri commotio dependet a tremore cal- variarum.	98	Contrafissura cum fissura quando habeatur.	85
Cerebri commotio lethalis, & quæ. 9.	97.	Contrafissura cum interioris calvariarum laminæ testis quandoque cernitur	85
	100	Contrafissura est lethalis	83
Cerebri commotio lethalis duplici de causa	97	Contrafissura non immediate, sed mediate, lethalis.	85
Cerebri commotio solitaria subito motibus ac sensibus privat.	100	Contrafissuram cognoscendi modus incerti.	84
Cerebri commotio vehementior ab æfflu pmonum, epatis &c. gignit.	101	Contrafissurarum observationes.	84. 85
Cerebri corticalis & medullaris substantia le- thalitatem non determinat.	93	Contusiones incruentæ quæ lethales.	166
Cerebri laxissima denutatio aliquando mor- tem adfert.	75	Cordis vasorum majorum vulnera mortifera	131
Cerebri tremorosa vibratio unde.	98	Cordis ventriculi sinistri prope arteriarum ostium ruptura.	63
Cerebri vasorum vulnera cur lethalia.	88	Cordis ventriculi transfossi quosdam diu su- perstites relinquunt, & cur.	127. 128
Cerebri vulnera lethalia nonnunquam sanata.	22. 78	Cordis vulnera cur lethalia.	126
Cerebri vulnera ventriculos sive penetrent, sive non, mortifera.	93	Costarum fracturæ aliquando reponi nequeunt.	125
Cerebri vulnerum lethalitas unde haurienda	94. 95	Costarum plures fracturæ ac restauratæ non possunt in situ contineri	125
Cerebri vulnerum magnitudo ac profunditas diversa lethalitatem variat.	94	Costarum fracturæ aliquando lethales.	70.
Chirurgus priori Chirurgo in gravioribus vul- neribus jungendus.	67		124
Chirurgus quando vulneris periculum ad mor- tem intendit.	60	Costarum fracturarum brevi interficientium exempla.	70. 126
Chirurgi nostrates ad deponendum minus sufficiunt.	5. 8	Cranii conrusio aliquando lethalis, aliquando non.	82
Chirurgi renunciatio non est anteferenda Me- dici.	7	Cranii fissura qualis per se lethalis.	79
Chirurgorum imperitia culposa.	60	Cranii fissurarum minus dignoscibilium exempla.	79. 80
Chirurgorum imperitia vulnus sanabile non reddit lethale in se.	61. 62	Cranii fracturæ cur aliquando lethales.	78. 82
		Cranii fracturæ per se haud lethales.	ib.
		Cranii fracturarum species.	79
		Cranii sedes haud mortifera.	82
		Cranii	82

INDEX RERVM.

Cranii tabula externa integra, interna laesa
quandoque reperitur. 80

D.

Deposito v. Renunciatio.
Defectio calvariae trepanum non semper ad-
mittit. 107
Diaphragmatis contusio lethalis. 10. 138
Diaphragmatis plagae etiam, carnosae partis
mortiferae. 137
Diaphragmatis plagae quae lethales. 136
Diaphragmatis structura olim male fuit ex-
plicata. 137
Diaphragmatis tendinae portiones vulnera
lethalia. 41
ob Dignotionis difficultatem quaedam vulnera
lethalia. 41
Ductus choledochi vulnera mortifera. 154
Ductus thoracis vulnera lethalia. 135

E.

Epatis ex plagis cur quidam evadant. 152
Epatis vulnera superficialia sanata. 38
Epatis vulnera lethalia. 150
Epatis vulnera tantum non omnia per se mor-
tifera. 151
Epatis vulnerum lethalium casus. 150
Epigastricae regionis & hypochondriorum
percussio quandoque lethalis. 10

F.

Felleae vesiculae vulnera lethalia. 153
Felleae vesiculae vulnera cur lethalia. 154
Figura vulnerum aliquando lethalitatem va-
riat. 43
Fissura cum contrafissura interdum invenitur.
85
Fissura in suturam incidens dignorum difficil-
lima. 81
Foetus adeo debilis interdum excluditur, ut
omni motu ac respiratione destitui videat-
ur. 177

Foetus 'an vivus' mortuusve exclusus olim ex
indiciis mere legalibus petebatur. 169
Foetus in partu haerens aliquid aeris admittere
potest. 174
Foetus in & post partum, antequam respirat
trucidari potest. 177
Foetus in utero mortui signa. 170. 171
Foetus mortaliter aliquando laeditur a percus-
sione abdominis maternae. 161
Foetus mox ante partum mortuus nihil cor-
ruptionis exhibet. 170
Foetus sine motu & respiratione sensibili na-
tus quomodo excitetur. 177
Foetus sub difficiliore enixu sensibilibus quan-
doque anhelat. 175
Foetus vivus natus sine stercoreum excretionem
quandoque ad tempus vivit. 184
Foetus vivus natus variis modis trucidari
potest. 184
Foetus suffugillationes capitis fluctuationi pul-
monum non semper annuunt. 184
Foetus vitia p. n. quandoque ab imaginatione
matris. 162
Foetum vivere sub partus conatibus non sem-
per dignoscitur. 184
Foetum vivum natum interficiendi modum
nosse, necessarium. 184
Foetum vivum praeter fluctuationem pulmo-
num quae indicent. 84
Fractura cranii quando lethalis. 82
Fragmenta calvariae non semper trepani usum
innuunt. 108
Funiculus umbilicalis collo foetus circumvo-
lutus quomodo enecet. 179. 180
Funiculus umbilicalis vivi etiam nati mox
ab aere p. n. faciem induit. 170
Funiculi umbilicalis habitudo de nutritione
foetus restatur. 170
Funiculi umbilicalis habitudo iudicium de
vivo & mortuo nato aliquando fallit.
170
Fustigationis lethalitas unde habenda.
168
Fustigationes in cruentae quae mortiferae.
166

INDEX RERVM.

G.

Gangræna in pollice pedis a vulnere capitis.	55
Glandularum mesenterii vulnera aliquando lethalia.	149
Gulæ humanæ fabrica.	122
Gulæ vulnera quæ lethalia.	121
Gulæ vulnera transversalia cur longitudinalibus periculosiora.	122
Gulæ vulnorum sanatorum exempla.	122

H.

Hypochondria v. Epigastria.

I.

Imaginatio matris foetui quoque vitia patrat.	162
Infanticidii miseræ quædam se falso accusant.	169
Infanticidium ut detegat Medicus postulat.	169
Inspectio aliquando impeditur a putredine. II	40
Inspectio cadaveris quales injungit cautelas.	67
Inspectio & apertura non sufficiunt ad deponendum.	68
Inspectio & Sectio aliquando nihil declarant.	11
Inspectio fiat caute.	10
Inspectio instituatutur tempestive.	17
Inspectio læsionum capitis reliquarum subinde cavitarum aperiendam suadet.	3
Inspectio licet fuerit intermissa vulnus tamen interdum lethale judicatur.	II, 16
Inspectio non partem læsam tantum sed totum cadaver disquirat.	16
Inspectio partis læsæ solum aliquando sufficit.	5
Inspectio quibus personis committenda.	3. 62
Inspectio vulneris ad renunciationem est necessaria.	

Inspectio Medici in anatomia minus exercitatus prudenter se subtrahit.	10
Instrumenti lædentis conditio minus sufficit pro lethalitate determinanda.	66
Intercoastalium vasorum læsiones lethales.	132
Intestinorum plagæ cur quædam salutaræ.	147
Intestinorum tenuium vulnera cur reliquis periculosiora.	145
Intestinorum vulnus prominens facilius curatur, quam latitans.	31
Intestinorum vulnera lethalia & cur. 30.	144
Intestinorum vulnera quædam cur non mortifera.	26. 147
Intestinorum vulnera tenuium æque ac crassorum sunt lethalia.	145
Intestinorum vulnera transversalia cur periculosiora.	145
Intestinorum vulnorum lethaliu[m] historia.	146
Sanatorum exempla.	146

L.

Lacteorum secundi generis vulnera lethalia.	149
Lacteorum vasorum lethalitas parum hæcenus explorata.	69
Lacteorum vulnera quæ mortifera	148
Læsiones internæ vestigia externa non semper habent.	12. 14
Laryngis cartilaginum percussiones aliquando lethales.	121
Lethalitas ex relatione inconciuna interdum dijudicatur.	17
Lethalitas non determinatur ab instrumento lædente.	66
Lethalitas non determinatur a solis symptomatis.	66
Lethalitat[is] argumenta unde sumenda.	4
Lethalitatem determinat læsæ partis conditio.	66
Lienis	

INDEX RERUM.

Lienis extirpatio non derogat ejus plagarum lethalitati.	155
Lienis vasorum vulnera per se lethalia.	31-155.
Ligamenti umbilicalis vulnera an lethalia, dubitatur?	154. 155
Ligamenti umbilicalis vulnera convulsiones excitare nequeunt.	155
Lymphæ cerebri an a percussione, an aliunde dubium.	104
Lympha difficiliter corrumpitur sanguine.	149
Lymphæ ad cerebri interiora extravasatio mortifera.	104
Lymphæ cerebri a concussione extravasata profluxus per aures.	103
Lymphæ cerebri extravasatio difficilis est conjecturæ.	106
Lymphæ cerebri evacuatae ab eius commotione natae casus.	102. 103
Lymphaticorum abdominis plagæ mortalia	164
Lymphaticorum lethalitas parum aut nihil hæcenus examinata.	69
Luxatio unius vertebræ plus nocet, quam plurimum.	113

M.

Mammatorum vasorum vulnera lethalia.	131
Matris duræ ac piæ vulnera sunt ambigua	85
Matris duræ sinuum vulnera mortalia.	87
Matris duræ textura singularis.	86
Matris duræ usus in corpore non exiguus.	87
Matri duræ sanguis extravasatus tenacius adhæret, quam ut detergeri queat.	92
Medicus ac chirurgus vulnerati abstinere deinde à sectione.	9
Medicus chirurgus priori in gravioribus vulneribus jungendus.	67
Medicus deponens aliquando sententiam suam suspendere potest.	73

Medicus de multis deponere rogatur.	1
Medicus in arte secandi imperitus prudenter renunciationem detrectat.	10
Medicus non semper de veritate, sed etiam de probabilitate deponit.	74. 171.
Medicus prudens a singularibus paucis non argumentatur ad universalia.	28
Medicus sine chirurgo deponere potest.	7
Medici renunciatio a ICTis necessaria desideratur.	2
Medullæ spinalis puncturæ lethales	116
Medullæ spinalis vulnera tam inferioris, quam superioris partis per se lethalia.	71. 115
Medullæ spinalis vulnera per se mortifera.	114
Mesenterii glandularum vulnera aliquando lethalia.	149
Mesenterii vulnera quæ lethalia.	148
Morbus antecedaneus lethalitatem haud tollit.	47
Mors a percussione pluribus minus lethalibus.	72
Mors tardior non semper minus lethale reddit vulnus.	64
Mortis a percussione celeritas haud sufficit pro lethalitate inferenda.	63
Musculi temporalis vulnera haud lethalia.	76
Musculi temporalis vulnerum salutarium exempla.	77

N.

Natus etiam vivit sine respiratione.	177
Natus mox acere forsitan semper non opus habet.	178
Natum vivum mox & semper respirare falsum dogma.	176
Natorum & sepulcorum sine vitæ dispendio exempla.	179
Nervorum abdominis vulnera lethalia.	399
Nervorum artuum vulnera quando lethalia.	118
Ner-	

INDEX RERVM.

- Nervorum puncturæ atrociora movent pathemata incisionibus* 116
- Nervorum quadam vulnera lethalia.* 56.
69. 116
- Nervorum thoracis lacerationes lethales.* 138
- Nervorum viscerum vitalium rami ac plexus lacerati mortales.* 117
- Nervorum viscerum vitalium solitariorum vulnera quoque lethalia.* 117
- Nervorum vulnereum lethalitas imperfecte hæcenus demonstrata.* 68
- Nervorum vulnera non prompte coalescunt.* 69
- Nervorum vulnera ratione partium ad quas abeunt, lethalia.* 55
- O.
- Odontagia funesta.* 23
- Oesophagus v. Gula.*
- Omenti vulnera quando lethalia* 149
- P.
- Pancreatis vulnera vix lethalia.* 149
- Paracantesis thoracis in vulneratis cur raro salutaris.* 31
- Pericardii humor an naturalis.* 130
- Pericardii vulnera an lethalia.* 130
- Pericardii vulnereum lethaliæ causa.* 130
- Piæ matris vulnera hæc lethalia.* 85
- Plagæ incuræ quænam mortiferæ.* 166
- Pori epatici plagæ mortales.* 154
- Pulmones in utero mortui arte ad natatum disponere licet.* 173
- Pulmones in vivis ac mortuis natis disparitatem nonnulli negant.* 172
- Pulmones motum thoracis sequuntur.* 123
- Pulmones natorum natantes fallax experimentum.* 181
- Pulmonum natantium ac submergentium varia exempla.* 181, 182
- Pulmones quorundam recens natorum non sunt distensiles.* 181
- Pulmones si ad putrilaginem inclinent, fluctuationis experimentum incertum reddunt.* 175
- Pulmones submergentes fœtum in utero mortuum non semper innuunt.* 181
- Pulmones vivi nati non semper in aqua fluctuant.* 173
- Pulmonum disparitas in natis ac non natis fallit.* 172
- Pulmonum in natis levior agitatio forsan illos non reddit natatiles.* 176
- Pulmonum diversa conditio vivum mortuumve natum indicet.* 171
- Pulmonum natantium observatio in fœtu mortuo nato.* 182
- Pulmonum partes omnes non æque fluctuant.* 180
- e Pulmonum plaga superficiali multi evadunt.* 38
- Pulmonum submergentium in catulis vivis observatio.* 179
- Pulmonum submersio fallit, in nato mortuo asserendo.* 176
- Pulmonum submersio non est indubitatum argumentum fœtus in utero mortui.* 177
- Pulmonum vivorum ac mortuorum natorum disparitas.* 171
- Pulmonum vulnus lethale quomodo salutare evadere queat.* 25. 27
- Pulmonum vulnera desperata sanata.* 22
- Pulmonum vulnera non omnia sunt lethalia.* 132
- Pulmonum vulnera propter ramos trachæ læsos mortalia.* 135
- Pulmonum vulnera propter vasa sanguifera lethalia.* 134
- Pulmonum vulnereum lethaliæ exempla.* 133. 134
- R.
- Receptaculi lumbaris vulnera lethalia.* 149
- Renum

INDEX RERVM

Renum vulnera lethalia.	156	Sanguis interdum a matre dura detergi nequit.	92. 109.
Renum vulnera quando non lethalia.	48	Sanguis non semper trepano evocari potest.	89
Renum vulnera superficialia non lethalia.	157	Sanguis in basi cerebri & intra cerebrum & cerebellum hærens, elici non potest.	92
Renunciatio a Medico & Chirurgo vulnerato medentibus non postuletur.	9	Sanguis sub calvaria difficillime cognoscitur in vivis.	106
Renunciatio Chirurgi tam firma non est, quam Medici.	7	Sanguinis extravasati sub calvaria damnum.	89
Renunciatio in vivis ut plurimum est conjecturalis.	2	de Sanguine sub calvaria interdum non constat.	90
Relatio num vivus mortuusve natus extiterit, olim à Medicis non postulabatur.	169	Saniei sub calvaria collectio in vivis dubia.	107
Renunciatio vivi nati unde haurienda.	169	Scroti vulnus lethale fieri potest.	48
Renunciationis objectum.	1	Sectio apparatus morbofi an adfuerint, determinat.	66
Renunciationis synonyma.	2	Sectio cadaveris rudiori chirurgo non concedatur.	12
ad Renunciacionem inspectio vulneris necessaria.	3. 62.	Sectio læsæ partis conditionem manifestat.	66
ad Renunciacionem inspectio vulneris non sufficit.	67	Sectio non semper causam mediatam declarat.	14
in Renunciacione circumstantiæ circa vulneratum & vulnerantem sunt attendendæ.	67	Sectio nunquam negligatur.	12
in Renunciacione quam observandæ.	29	Sectio circumspecta opus est.	12
Renunciaciones de vulneribus ad Medicum spectant.	2. 5.	Sedes in capite non lethalis.	82
Renunciaciones quandoque frivole taxantur a Caufidicis.	18	Serum. v. Lympha.	
Renunciaciones vulnerum duplicis generis.	2	Sinum duræ matris vulnera lethalia.	87
Renunciacionum de vulneribus doctrina non est prognostica.	3	Spinæ conqussatio aliquando lethalis.	113
Renunciacionum doctrina hæctenus imperfecta fuit.	68	Spinæ fracturæ interdum mortiferæ.	114
Renunciacionum doctrina difficilis.	4	Spinæ læsiones.	111
Resonitus v. Contrassura.		Spinæ luxatio aliquando per se lethalis.	112
Respiratio ab ipso partus momento in natis non semper observatur.	177	Spinæ vasorum sanguineorum ruptura interdum mortalis.	114
Retæ mirabile in homine non deprehenditur.	72	Spiritus intra cerebri ventriculos non elaborantur.	93
S.		a Statu valetudinario lethalitas vulneris quod tollitur.	47. 49
Sanguis extravasatus in cerebro non djudicatur ex ictus gravitate.	106	Submersi viventis aut mortui signa.	192
		Submersorum signa aliquando fallunt.	193
		Submersorum vivorum interanea aqua haud subit.	193
		Submersorum mortuorum exempla.	196
			197
		Dd	Suspen-

INDEX RERVM.

Vasorum intercostalium lésiones lethales.	132	Vita in recens natis respiratione prior.	177.
Vasorum subclavium, mammariarum & venæ azygos vulnera mortifera.	131	Ureterum vulnera lethalia.	157
Venarum axillarum & cruralium lethalitas.	33	Uteri extractio mortalis.	163
Venarum iugularium incisio an tuta.	118	Uteri vulnera lethalia.	160
Venarum jugularium vulnera lethalia.	33	Uteri & in hoc fœtus vulneris lethalis observatio.	160
Venena hausta an exterius applicatis semper potentiora.	40	Vulneratus vivus an mortuus quis sit, unde concludatur.	197. 198.
Ventriculi etiam summitatis fundi vulnera mortalia.	141	Vulnerati vivi mortuive phænomena fallunt.	197
Ventriculi orificia carnosiora sunt fundo.	141	Vulnerationis dignotio difficilis a circumstantiis externis.	43
Ventriculi orificia non magis sensibilia sunt fundo.	142	Vulnerationis dignotio difficilis a situ corporis.	ib.
Ventriculi orificiorum plagæ semper lethales.	140	Vulnus absolute & vt plurimum lethale quid?	20
Ventriculi vulnus majus semper pessundat.	37	Vulnus aliquando per se lethale reddit constitutio lési.	44
Ventriculi vulnus quandoque lethale, quandoque non.	24	Vulnus insanabile & lethale ut differant.	19
Ventriculi vulnera, cur aliquando non enecant.	26. 27. 143	Vulnus lethale casu etiam fortuito sanatur.	26
Ventriculi vulnera cur lethalia.	30	Vulnus lethale a situ partis vulneratæ.	30
Ventriculi vulnera duplici ratione lethalia.	139	Vulnus lethale evadit salutare per conformationem individualem.	25
Ventriculi vulnerum sanatorum exempla.	139. 140	Vulnus lethale non a morte peditequa judicatur.	19. 23
Vertebræ dorsi ad anteriora dimota vix restituntur.	112	Vulnus lethale quid?	20
Vertebræ unius luxatio plus nocet, quam plurima.	113	Vulnus non lethale videtur, si symptomatis gravioribus destituatur.	55
Vesicæ cervicis vulnera aliquando per se lethalia.	159	Vulnus per se & absolute lethale vulgo confunduntur.	21
Vesicæ fundi plagæ non omnes enecant & cur.	159. 160	Vulnus per se & per accidens lethale quid?	2. 20
Vesicæ fundi plagæ sunt vt plurimum lethales.	159	Vulnus per se lethale a neglecta aut non rite administrata medela non redditur per accidens lethale.	15
Vesicæ plagæ aliquando salutares.	158	Vulnus quando lethale per accidens reddatur a dispositione morbosa.	49
Vesicæ vulnera cur lethalia.	30	Vulnus quod non lethale.	29
Vesicæ vulnera cur quaedam minus mortifera.	26	Vulnus sanatum an exacte idem cum non sanato dubium.	24
Vita in recens natis aliquando sine respiratione	177	Vulnus simpliciter & per se lethale quomodo differant.	21
		Vulnus	

INDEX RERVM.

Vulnus vix lethale in corpore debili mortis causa esse potest.	49	Vulnera lethalia ob venenositatem.	39
Vulnus ut plurimum lethale manet per se lethale, licet ex hoc nonnulli convalescant.	21. 22	Vulnera lethalia quondam dicta, quæ minus talia.	72
Vulneris exilitas quando mortem inferat.	95	Vulnera membranarum ac tendinum periculosa aliiis,	30
Vulneris figura aliquando lethalitatem variat.	43	Vulnera quædam ex errore minimo lethifera.	3
Vulneris inspectio y. Inspectio.		Vulnera periculosa cum lethalibus non sunt confundenda.	20
Vulneris lethalitatis confirmatio.	60	Vulnera vix lethalia quomodo lethalia evadant.	28
Vulneris lethalitas a morbo præcedaneo non tollitur.	47	ex Vulnerum lethalium classe male quædam exclusa.	70
Vulneris lethalitati ætas nihil derogat.	45	Vulnerum lethalitas a dignotionis difficultate.	41
Vulneris lethalitatem mortis tempus non determinat.	65	Vulnerum lethalitas a qualitate eorum.	39
Vulneris nomine quid hic veniat.	9. 10	a quantitate.	37
ex Vulnere immediate tardius æger succumbere potest.	65	ab officio & usu partium	37
ex Vulnere sanato non licet argumentari ad defuncti vulnus.	24	a textura partis læsæ.	30
Vulnera cadaverum stylo non sunt exploranda.	11	Vulnerum lethalium per se causa.	28
Vulnera exilia interdu periculosa majoribus.	38	in Vulnerum lethalitate dubia determinanda magis Medico standum quam Chirurgo.	7
Vulnera lethalia nonnunquam sanata.	22	Vulnerum sclopetorum indagatio ardua.	13
		Vulnerum sclopetorum tractus maxime tortuosi.	1b.

Emendanda.

P. 3. l. 15. lege conforme. 39. l. 5. ideo exitiosa. 61. l. 30. Neque nocere.



57 2390

